





[Blank page with faint bleed-through from the reverse side]

1  
1  
2.  
3.  
4.  
5.  
6.  
7.  
8.  
9.



1716.

1. Alberti, Michael: De dysenteria cum petechiis et purpura complicata.
2. Alberti, Michael: De medicina quaedam efficaci in mor-  
bibus naturae exacerbatis
3. Alberti, Michael: De vomitu cruento.
4. Alberti, Michael: De epilepsia.
5. Boile, Henricus, de: De officio praetoris restauranda,  
et tollentium processum hodiernum.
- 6<sup>o</sup> = Boehmer, Justus Henricus: De diverso sponsalium et  
matrimonii jure. 2 Sampl.
- 7<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup> = Boehmer, Justus Henricus: De diverso praeiuris et  
hypothecae jure. 3 Sampl. 1718, 1734: 1745
- 8<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup>, c. 2 = Boehmer, Justus Henricus: De hypotheca feudali  
expressa. 4 Sampl. 1718, 1731: 1734.
- 9<sup>o</sup>, 6<sup>o</sup>, c. = Boehmer, Justus Henricus: De jure principum protesta-  
tium circa solemnem matrimonii ecclesiasticum.  
3 Sampl. 1718: ~~1734~~ 1734.

*[Faint, illegible handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]*





1774.  
 12<sup>e</sup> Montaigne, Nicolas Herveyeux. *Discours*, in 2<sup>e</sup> par.  
 de la vie de Louis le Grand, par le sieur de ...  
 de la vie de Louis le Grand, par le sieur de ...  
 de la vie de Louis le Grand, par le sieur de ...  
 1731 - 1736



1717.

12<sup>a</sup> Gumblingeris, Nicolaus Hieronymus: Dissertatio juridica, qua  
doctrina vulgaris majorem a feminis, quam a viris, requi-  
rens castitatem . . . sub examen revocatur. J. Praes. 1717,  
1731 & 1756

22.

1718 57

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE

3

# VOMITU CRU- ENTO,

QUAM  
DEO PROPITIO  
ET

3

GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
PRÆSIDE,

DN. D. MICHAELE ALBERTI,  
POTENTISS. REGIS PRUSSIÆ CONSILIARIO AULICO, MEDI-  
CINÆ PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD.  
REIPUBL. NORIBERG. PHYS. ORDIN. ACADEM. NAT. CURIOS.  
COLLEGA,

FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,  
PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO CUM  
HONORIS CULTU PROSEQUENDO,

## PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in arte Medica Honoribus, Insignibus, ac Privilegiis  
More Majorum Solenni obtinendis,

*Horis ante- & pomeridianis. d. August. M DCC XVIII.*

Publicæ ventilationi submittet

**ERDMANN KUPITZ,**  
SORAV. LUSAT.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANI HENCKELII, Acad. Typ.



22

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

# VOMITU CRU- ENTO

DEO FRIDRICH

GENITORUM ET FACULTATIS MEDICAE CONSENSU

DR. D. MICHAEL ALBERTI

PRO GRADU DOCTORIS

ERDMANN KUTZNER



## PROOEMIUM.



### Quam divina sapientia

in tota oeconomia vitali emineat, vel ipsa illa observatio abunde testari potest, quomodo corpus animale, adeo extremè corruptibile, instrumentali quadam causandi ratione eò inservire debeat, ne emortalis & perniciofa corruptio illud invadat atque obruat; siquidem actus illi, qui ad conservationem fragilis hujus machinae applicantur, tam exquisita proportione gaudent, ut crassa omnino toti rerum univertitati vis atque confusio immitteretur, si tam distinctos atque selectos effectus in tot myriadibus individuorum, tam constanti & quotidiano successu nudis atque crudis corporeis qualitatibus adsignare auderemus; etenim tantus numerus singularium partium, integrum corporis animalis systema constituentium, tam egregio atque exacto ordine comprehensus est, ut nulla illarum otiosa aut inutilis & superflua deprehendatur, quin singulari sua fun-

A 2

ctio.

ctiōne huic conservatorio effectui apprime inferviat: & cum tam digna atque celebris conservatio, subiecti adeo infirmi, non nisi præparatorio, evacuatorio & reparatorio effectū obtineatur, propterea eò diversa idonea organa in communi illa œconomia vitali obvia quadrant, quæ vero ob genericum suum usum minimè adeo obstricta atque præclusa sunt, ut tantum genericam aliquam utilitatem adjuvent, sed tam elegans inter illa reperitur communio, ut in casu necessitatis & extraordinariis occasionibus, unum alteri in tantum inferviat, in quantum vel aliquale commodum corporis integritati comparari potest: similis sane communio occurrit in organis sensoriiis, quæ animæ rationalis usibus subserviunt, quorum singulares defectus quadantenus ita compensantur, ut cum alio sensu alterius debilitati vel perfectæ abolitioni succurratur: perinde in vitali negotio contingit, ut unius organi functio, alterius defectui inferviat, aut ad minimum unum organon in tantum alteri subveniat, quo in eodem tales operationes administrantur, quæ in hoc ordinariè celebrari debent: inde evenit ut diureseos vitia cum copiosiori diaphoresi suppleantur, aut ut excretio muci per alvum, alia occasione per pulmones aut per nares succedat: nec non ut interceptio & occlusio flatuum in ructus mutetur, & ut sæcum alvinarum catotERICA evacuatio, interdum in anotericam invertatur, ut diversorum parallelorum exemplorum commemorationi superfedeamus. Sed dum hæc meditamur mox memoriam nostram occupat tritum illud & satis ingenuum dictærium, quod in ore Hippocratis & Galeni imo plurimorum Medicorum & Philosphorum reperitur, ad-

admodum usitatum: quod natura sibi ipsi vias seligat & inquiret & quod ad optima tendat; utpote quæ assertio magis ex observatione, quam speculatione ortum traxisse videtur, siquidem naturæ ordines, limites, processus & effectus ita sacri & arcani interdum sunt, ut ipse eventus & totius operationis nexus de salubritate & rationabilitate ejusdem actus satis luculentum & sincerum testimonium perhibeat: unde *Seneca olim quest. 5. confessus est: arcana illa rerum naturæ sacra non promiscue & omnibus patent; reducta & interiori sunt clausa sacrario:* & licet hæc dicteria vulgo naturam universi concernant, i. e. totum complexum spatiosi macrocosmi, tamen veritas eorundem perinde eodem jure ad hominis statum extendenda & applicanda erit; siquidem mutua illa functionum vitalium, naturalium & animalium participatio & relatio eundem sacrum ordinem commendat, qui ad corporis integritatem impetrandam & confirmandam spectat: & quemadmodum in organis corporis humani tam elegans communio est, ita non minus in ipsis actibus atque effectibus excretoriis eadem harmonia deprehenditur; siquidem in eximio illo specimine imminutionis sanguinis, aliquando actuales sincere sanguinis depletiones obtingunt, nonnunquam superfluis ille sanguis, prævio quodam motu atque effectu resolutorio in substantia & forma inutilis feri eliminatur; ut alia hæc methodus nihilominus eandem utilitatem inferat, quam simpliciores Hæmorrhagiæ imperiunt. Meretur hic eximiæ dignitatis consensus tum partium organicarum, tum effectuum salutarium accuratorem attentionem, quoniam famosa illa acculatio

generis nervosi non admodum nervosa, sed nimis generica est, adeoque spirituosiori & perspicuæ veritati magis consono influxu indiget: illud interim ad longè digniores & evidentiores explicationes subministrandas contribuit phænomenon, quod sub tali communione viarum, organorum, motuum & effectuum periclitantis sanitatis restituito & confirmatio versetur, utpote quæ conciliatio minime accidentalibus, aut merè morbidis atque turbulentis causis imputari potest. Sed ne in generalissimis talibus disquisitionibus diutius subsistamus, mox in mentem incidit, quomodo tam ordinarii motuum vitalium successus, quam extraordinariæ illæ partium & evacuationum communionem principaliori cura, industria & tenore circa sanguinem occupentur, quippe qui non modo præ omnibus, corpus humanum constituentibus partibus & citissime & facillimè in mortiferam putredinem ruit, sed et sine quo principalior motus vitalis & connexus reliquus salutaris actus & effectus, sanitatis commodo inserviens, administrari haud potest; & ne diffusius commonstremus, quomodo diversi motus & variæ partes sanguinis attenuationi & repurgationi inserviant, ita illam tantum circumstantiam attingere lubet, quomodo diversæ regiones & variæ partes ad exonerationem molesti & abundantis sanguinis applicentur; siquidem natura humana vi illius domini, quo corpori suo præfidet, ad varia loca hunc suum conatum dirigere potest; inde est, cur impeditæ narium Hæmorrhagiæ denique in Hæmoptysin aut Hæmorrhoides convertantur; aut cur Hæmorrhoides turbatæ & oppressæ, modo è capite, alibi è pulmonibus, interdum è

è ventriculo, aliquando è vesica urinaria, quandoque è superficialibus venis eluctentur, aut actu etiam erumpant; aut cur Menfes impediti & perturbati, nunc ad nares transferantur, ut propterea Hippocrates Sect. V. aph. 33. dixerit: quod mulieri mensibus deficientibus è nari-  
bus sanguinem fluere, bonum sit; alibi ad pectus, interdum in hypochondria & ventriculum, aliquando ad loca hæmorrhoidalìa &c. dirigantur, quales vicarias functiones hæmorrhagicas passim & veteres & recentiores observatores sufficientibus & luculentis Historiis annotarunt & inculcarunt, quæ animadversiones in Historia & Praxi Medica eximiam utilitatem offerunt, ut propterea non otiosus labor sit, huic Hæmorrhagiarum communi-  
oni explorandæ & explicandæ operam & studium adhibere: sed dum hæc disquisitio admodum spatiosa est, ita ad unicum tantum Hæmorrhagiarum speciem animum dirigimus, quæ in Pathologia Practica magnæ dignitatis & existimationis est, videlicet ad Vomitum Cruentum, qui partim cum hæmorrhoidali, partim cum Mensium negotio exactam aliquam harmoniam servat, ut exindè liqueat, quomodo natura nonnunquam ventriculum seligat, ad quem motus hæmorrhoidales & menstruos applicat & transfert, si in genuinis locis & motibus hæmorrhoidalibus atque mensruis anomaliam quædam incidunt: Quoniam vero impræsentiarum nobis incum-  
bit, quo Inaugurali quodam Specimine utilem aliquam tractationem Medico-Practicam commendemus, propterea de VOMITU CRUENTO seorsim agere & disserere proposuimus: Adsit itaque nostris conatibus divina clementia, eosdemque ita adjuvet atque secundet quo salutarem & exoptatum scopum assequantur. s.l.



§. I.

Quando de Vomitu Cruento differere constituimus, haud inutile erit, *generalem* quendam transitum ad specialio rem tractationem præmittere: ubi mox in primo limine *multiplices* illas *vias* considerationi & attentioni commendamus atque proponimus, per quas *sanguis* extra consuetum suum cursum moveri imo denique a toto corpore *removeri* solet: ubi minime infimæ notæ & fortis illa est observatio, quod ut plurimum sanguis ad talem *singularem* perruptionem dirigatur, ut non in *interiora* transfluat & cavitatem cerebri thoracis, aut abdominis oppleat. Sed ad talia loca affundatur, è quibus denique *extra* totum corpus effundi queat: ita in ufitatis maximeque cognitæ Hæmorrhagiis nares, gingivæ pulmones, interior alperæ arteriæ superficies, ventriculus, intestinum rectum, vesica urinariæ, uterus ejusque vagina, innotuere; deinde vero observationes testantur de sanguinis profluvio ex oculis, auribus, dentium alveis, mammaram papillis, venulis superficialibus spontè perruptis, è poris cutis, sub ungvibus digitorum, elabiis oris & vagina uterinæ, e genitalibus virorum & pluribus aliis, sicut passim observatores hujus variationis mentionem injiciunt, e quibus hoc loco tantum *Zacutum Lusitanum Med. Princ. Hist. Lib. 2. Hist. 10. & Casp. à Reies Camp. Elyf. Quest. 86. §. 8. 9.* ut collectores talium observationum allegamus, ut nihil seorsim de Mensium & Hæmorrhoidum *insolitis* viis inferamus; siquidem interdum miraculosi plane exitus deprehenduntur; ut propterea in ejusmodi casibus ob *defectum* aliarum causarum, *arcani* naturæ actus & *occultæ* viæ salutari & deprædicari soleant: in qua *variatione* partium sane longe magis ex-

qui-

quisita illa *motuum* directio & restrictio, quam confusa & generica quædam *obstructio*, & *acrimonia* æstimationem promerebit: in eo vero maximè elucescit singularis *Dei providentia* atque naturæ benignitas atque *rationabilitas*, ut dum in prædictis *interioribus* cavitatibus longe *exiliora* vasa sangvifera deprehenduntur, nihilominus ut plurimum eruptiones *extrorsum* contingant; cum vicissim ex altera illa sanguinis perriptione in interiora *rarissimi* ægrotantium salvari & restitui queant: hinc viscerum *internorum* valde *sanguiferorum* rupturæ tanto certius *lethales* existunt, quo minus extravasatus sanguis *educi* potest: quod vero tam multiplex *selectus* locorum pro *Hæmorrhagiis* in individuis occurrat, eadem nobis videtur esse ratio, ac de *moralis* illa intentionum & inventionum diversitate, vulgo dicitur: *quot capita, tot sensus.*

§. II.

Quemadmodum vero plurimæ Hæmorrhagarum, ab *interna* magis atque *tacita*, quam externa *violenta* causa provenientium, *gradu* variant, ut una alteram *lenitate* superet, tamen nulla sane ex omnibus ita *crassa*, rudis & *impetuosæ* observatur, ac *Vomitus cruentus* est; siquidem omnes reliquas evacuationes, in genere spectatas, vomitus *vehementia* & *ruditate* superat, ut exinde facile quisquam hariolari possit, quasi in cruento vomitu *causa effectui* respondere debeat, & non nisi *crasse* ac *violente* læsiones eundem excitare queant: exinde etiam fluit, cur ut plurimum in *ætiologica* illius deductione animus magis ad violentas causas applicetur: sed sane magnam attentionem subinde meretur illa hujus vomitus conditio, qua sub concursu aliarum *antecedentium*, æque minus impetuosarum causarum, vel ex solo *inimiori* pudore, & *tacita* iracundia revocari potest; aut quando ex aliis *tacitis* causis, sine ullo *strepitu* & *impetu* decurrentibus, generatur, & proinde etiam cum iisdem ita firmiter *coheret*, ut vix

B

vio-

*violente* causæ hujus *tenoris* & efficacix esse conspiciantur: ex qua animadversione non sine prægnanti ratione colligimus, quanta discretione *causæ*, ad hunc vomitum contribuentes, sint æstimandæ, applicandæ atque tractandæ; siquidem illi casus, in quibus hæc Hæmorrhagia *violento* modo provocata, sistitur, vix *tantum* laboris & *difficultatis* faceffunt, ac ubi *subtiliores* atque *intimiores* causæ eò contribuerunt: ex quo iterum fluit altera notatu digna animadversio, quod in medico-practica, hujus vomitus tractatione, animus non tam anxie in *vomitum* defixus esse debeat, ac potius in illam *interiorem causam*, quæ denique ad hunc *crassum* effectum disponit: inde enim fluunt illæ *antipraxes*, quando pro principaliori auxilio adstringentia, stomachica, opiata & similia ordinantur, è quorum usu non nisi sinistri effectus provenire possunt, quia *radicem* mali haud satis *accurate* attingunt: illud vero ulterius pensitationi & attentioni commendandum est, quomodo valde *complicatæ* causæ in hoc affectu concurrant, quæ eundem eo magis *intricatum* atque difficilem reddunt, dum 1) sanguis ex occasionibus *singularis* efficacix & *sensibilitatis* ad hanc evacuationem promoveretur, 2) dum sub *difficilioribus* conatibus intra ventriculum perrumpitur, & dum 3) tam *valido* & *potenti* motu actualis & anxie vomitionis expellitur: utpote quæ genericæ considerationes sunt, quas circa denominationem notare placuit.

§. III.

Sed quo magis in ipsa sua *denominatione* hæc speciei Hæmorrhagix intelligatur, propterea dicitur *Vomitus cruentus*, ex quo primo mox inclarescit, quod sanguis è *ventriculo* expellatur, & per *inversam* illius peristalsin *crasso* modo & motu excutiat: an vero mox *immediate* intra *ventriculum* sanguis perruperit, an vero in *confinia intestina* primum emanaverit, deinde in ventriculum *trans-*  
latus

latus sit, nondum hoc loco, sed *inferius* differere & explicare placet; quia hic respectus ad *causalem*, præsentis Hæmorrhagiæ, deductionem spectat; dum vero dicitur, quod è ventriculo sanguis exturbetur, ita mox hæc Hæmorrhagia distinguitur ab *Hæmoptysi* & *sputo cruento*, licet inter has species *confusio* quædam suboriri soleat, pro qua adumbranda interdum frustra consensus generis nervosi accusatur, quando videlicet in certis observationibus commemoratur, quomodo in subjectis cruento vomitu demortuis, *pulmones* in culpa esse deprehensi fuerint; ubi facile fieri potuit, ut sanguis, è *pulmonibus* profusus, mox *deglutitus* & postea iterum *vomitu* rejectus sit; vel ut in uno eodemque subjecto & *Hæmoptysis* & *Vomitus cruentus* simul invaserit; vel ut post *præmaturam* largioris Narium Hæmorrhagiæ *cobibitionem*, sanguis *retro* per infundibulum defluerit, & post *deglutitionem* iterum cum *vomitu* excussus fuerit; vel ut in fæminis, *male menstruantis*, Hæmoptysi correptis, post repentinam hujus oppressionem, tunc demum actualis vomitus cruentus, tanquam *vicaria* Hæmorrhagia exceperit: neque quidem *Hæmorrhagarum* numero hic vomitus cruentus excludendus est, licet tam *crudo* modo succedat, quemadmodum *dysentericus* fluxus non æque ad Hæmorrhagarum classem refertur: interim pro priori militat, quod 1) æque sanguis è *minutissimis* venularum osculis perumpat 2) ita *guttatim* intra ventriculum transluat, 3) motu *congestorio* eò affluat, 4) *activa* directione ad eundem ut plurimum advehatur, 5) aliis *spontaneis* Hæmorrhagiis *cessantibus* subordinetur, 6) & hisce *restitutis* iterum curetur 7) communiter certo *sexui* familiaris deprehendatur; in quibus circumstantiis admodum discrepat, ne cum vulgaribus dysentericis dejectionibus hæmorrhagarum numero eximatur: neque etiam male *cruentus* vomitus vocatur, cum notio *cruoris* singularem sanguinis qualitatem denotet,

& *spiffiorem* illius consistentiam involvat; siquidem sanguis qui hoc vomitu expellitur non ita *fluidus* sed crassior magisque *nigricans* ut plurimum existit; quid quod interdum in forma *spiffiorum frustorum* sanguinis coagulati, in tali copia in ventriculo collecti & à *reliquis* concoctionis *acescentibus* alterati magisque inspissati deijcitur, utpote qualis *accidentalis* alteratio in vomitu & mictu *cruento* nec non in *Hæmorrhoidibus* præ aliis Hæmorrhagiis obtingit.

§. IV.

Et dum cruenti Vomitus explicationem suscepimus, minimè quidem nos latet, quam *diverse* illius *species* inter Practicos vulgo commemorentur, ad quas *antiquissimos* medicos minimè ita *solicite* attendisse deprehendimus: unde hac ipsa dissertatione potius de *illo vomitu cruento* tractare constituimus, in quo *primario* tales *causales* respectus occurrant, qui *indoli Hæmorrhagarum* magis quadrant, quod videlicet sub tali vomitu *particularis* & singularis ratio atque *directio* adsit, quo sanguis *superfluus* atque *molestus* vicario hoc actu eliminetur & *imminuatur*: sicut hujus circumstantiæ *eximie dignitatis* exemplum profert *Hippocrates* quando *Sect. V. aph. 32.* dicit: *mulieri sanguinem evomenti, menstruis erumpentibus solutio fit*, quod etiam *Celsus Lib. II. cap. 8.* allegat: neque minorem attentionem meretur *parallela* observatio fide dignorum Practicorum, qui vomitum cruentum, ex *inversis* motibus *hæmorrhoidalibus* ortum, commemorant; de qua re conferatur *Illustris Strablius Dissertatione de Motu sanguinis a crassi & visis non pendentibus vitis*; nec non *A. N. C. Dec. III. An. IV. obs. 102. de Hæmorrhoidibus per vomitum rejectis*; *Hæchstetterus Dec. II. Cas. 5. Dejectio nigra ut pix & sanguinis vomitus absque noxa*; *Platerus Observ. Lib. III. de vomitione obs. 1.* ubi de vomitu & dejectione sanguinis *grumosi & picis instar nigri* tractat, & dicit quod in  
il-

illo casu Hemorrhoidum provocationem utilissimam censue-  
rit: Joh. Crato Conf. Lib. 6. Conf. med. conf. 6. de rejectione san-  
guinis melancholici per sedem & vomitum: Gregor. Horstius  
Epistol. Medic. Lib. II. Sect. XV. vomitus sanguinis cum deje-  
ctionibus nigris. Rhodius Cent. II. obs. 6. vomitus cruentus  
cum dejectione bilis atra: & cum ejusmodi species vomit-  
us cruenti ab ipsis solertioribus observatoribus aliis præ-  
posita fuerint, quæ subinde in Pathologia practica dignio-  
res considerationes involvunt, ob id ad illas hoc loco ma-  
gis animum dirigere placet; præprimis cum fermè nul-  
lus peritorum practicorum priorem circumstantiam,  
quod videlicet vomitus cruentus cum Mensum vitii exa-  
ctam affinitatem habeat, oblivioni tradiderit: ut ex sola  
hac circumstantia nimirum ex exquisita hac medicorum  
harmonia & ipsa Historia practica teste elucescat, quo eo  
magis advertendum sit, cum reliquæ causæ, quæ vulgo  
in Pathologia Practica allegantur, præ hisce rariores & in-  
terdum obscuriores esse, observentur.

§. V.

Quo vero hæc vomitus cruenti species, de qua hoc  
loco disserere animus est, magis innotescat, tunc aliquot  
differentes alias cruentæ hujus evomitionis species allega-  
re lubet, inter quas illa singularis est sanguinæ evomi-  
tionis & interdum intercurrentis complicatæ cruentæ  
dejectionis species, qua integris etiam frustis aut grumo-  
sis & coagulatis glebis sanguis projicitur in affectu pecu-  
liaris conditionis & considerationis, quem vulgo *sublu-  
xatorio* effectui adscribere solent, & vocant *das Wehe-  
thun; oder sich einen Verdrieh thun*, quod idem est, *als  
sich verdrehen*: ubi contingit, ut homines utriusque *sexus*,  
& diversæ etiam *ætatis* non exclusis penitus *infantibus*,  
ex gestatione & elevatione *ponderum* aut ex incauto &  
inconsiderato motu *flexorio* corporis, in hanc afflictionem  
incidant: ubi in maximo hujus calamitatis gradu evenit,

ut sub gravi virium jactura, & appetitus langvore, in summa lumborum regione circa hypochondria spastica sensibilis & dolorifica tensio corripiat, concurrente æstu febrili aliquando mitiori & leniori, aliquando & quidem in subjectis plethoricis vehementiori, quin accedente molesta atque suspecta abdominis tensione aut plenaria duritie, donec tandem sub molestis vomendi conatibus aut insolitis intestinorum torsionibus, vel sursum vel deorsum, vel utrobique sangvis egeratur: præprimis vero tale quid observatur in *infantibus*, qui magna respirandi difficultate obruuntur, & quasi convulsivo *asthmatico* affectu opprimuntur, ut anxiam, operosam & acceleratam respirationem experiantur: subinde aliquando alvus deprehenditur siccior esse, aut plane adstricta & occlusa, sub qua retentione non modo interna angustia major & gravior ut & hypochondriorum tensoria afflictio immoderatio, sed & concursus febrilis exæstuationis, inquietudinis, ariditatis & siticulositatis certior existit, donec tandem alvus liberetur & grumosus sangvis dejectiatur, quod etiam interdum absque prævia tali alvi occlusionis evenit: quo magis vero hypochondria affliguntur, & cardialgiæ superveniunt, imo sensibiles tensiones, & manifestæ quædam hypochondriacæ regionis indurationes accidunt, eo certius denique vomitus accidentes sanguinem talem grumosum rejiciunt, & singularem cruenti vomitus speciem constituunt, de qua hoc loco minimè disseremus.

§. VI.

Ita alterius indolis cruentus vomitus est, quando in subjectis *Splenicis*, & post diuturnum *infarctum* Lienis sangvis intra ventriculum perrumpit; quippe qui vomitus, licet *periculosus* sit, cum tamen ad nostram tractationem illustrandam inferviat, inferius paulo clarius explicandus erit: interim ab illa specie quam impræsentia-

rum

rum pertractandam selegimus, non parum *differi*, ut propterea illius differentia hoc ordine annotari debuerit: Proinde aliam vomitus cruenti speciem constituit, quando in subiectis admodum *plethoricis* vel ob frequentem vel ob potentioris & impetuosioris minusque securi *Vomitorii* usum sanguis intra ventriculum *perrumpit*, & cum vomitu denique expellitur; vel quando oblata *corrosiva* remedia sive vulgaria acida, sive *arsenicalia* adeò interiorum ventriculi superficiem & Vasculorum sanguiferorum orificia *excoriant* ut sanguis denique effluat, & in notabili quantitate in ventriculo colligatur ac denique immoderato vomitu expellatur, quem interdum oblata talia corrosiva subiecta eo certius caufantur, quo *majori* copia ingesta fuere; cujusmodi exempla passim in observationibus medicis recensentur, ut minimè necessarium reputemus, quo in diffusioem Historiarum conquisitionem, collectionem & allegationem nos immisceamus: illud tantum hoc loco prævia quadam admonitione præoccupamus, ne à tali casu in *ætiologica* vomitus cruenti deductione præceptus ille *saltus* instituat, quasi horrida illa sanguinis *acrimonia* tam facile ab intra texturam ventriculi *arrodatur*, aut quasi *imaginaria* illa *faburra hypochondriaca & scorbutica* ventriculi acida, austera, pontica, &c. tam facile *superficiem* ventriculi corrodatur, & vasculorum ostiola detegat, quo ita subito sanguis transfluat atque effluat: juxta quem conceptum ejusmodi cruentus vomitus longe *frequentior* esset, ac vulgo deprehenditur: interim negare minime volumus aut possumus, quasi *acriora* pharmaca interiorum *villosam* ventriculi constitutionem adeo *abstergere* & abradere nequeant, quo sanguis ex apertis ventriculi *porulis*, etiam si nullum venulæ ostium detersum sit, *transsudet*, & successive in cavitate illius augetur, cujusmodi exemplum allegat *Franciscus Glissonius in tractatu de ventriculo & intestinis* de puella ubi in ventriculo nullum



lum vas disruptum repertum fuit, quæ vomitu cruento laboravit, cujus interior ventriculi superficies ab oblato pharmaco absterfa, sanguinem fudit. *conf. Bonettus Sepulchreti Anatomici Lib. III. Sect. VIII. obs. 7.* qualis parallelus effectus obtingit in *dysentericis* fluxibus, in quibus ab in hærente *acriori* inquinamento ita *arroditur* & detergitur intestinorum *textura*, ut sanguis non modo ad *vasorum* orificia effluat, sed etiam a reliqua *textura* corrola affluat: neque denique de illa vomitus cruenti specie, hac occasione agimus, quæ à *deglutitis instrumentis* acutis & *texturam* ventriculi *incidentibus*, aut quæ à *vermibus* retentis aut *hirudinibus* deglutitis provenit, quales historias operofius recensere haud è re nostra esse reputamus, cum directè ad propositum nostrum non spectent, interim *Zacut. Lusitanus Med. Princ. Hist. Lib. II. Hist. 9. & Lazarus Riverius obs. med. Cent. 4. obs. 26.* conferri possunt.

§. VII.

Cum hætenus *generalem* aliquam *preparationem* ad proximam *specialiorem* tractationem præmiserimus, ita ordo rei postulat, quo *Historiam* hujus cruenti vomitus tradamus, de quo nobis hac Dissertatione sermo erit: propterea mox ordine primum indicandum est, quod hic affectus non cuilibet *sexui* promiscua *frequentia* familiaris existat, sed quod *sequiori* præ virili usitatus obtingat: id quod sedula *observationum* medicarum collectio & conciliatio facile attestabitur, ubi sane inter decem foeminas vix duo masculi reperiuntur, quibus obtigisse legitur: ex qua circumstantia peculiaris elucescit *ratio*, per quam sequior *sexus* ad hanc Hæmorrhagiam magis *dispositus* intelligitur, & facile propterea liquet, quomodo *Mensum* negotium, *primaria causandi* ratione, ad hunc affectum contribuat; unde unanime peritorum practicorum & observatorum est suffragium, quod ex *mensum vitiiis* hic vomitus primas suas *origines* capiat: exinde vero iterum ex  
Histo-

Historia practica significans, quod sequiori sexui *ante* mensium *primam* eruptionem & post illorum *ultimam* cessationem cruentus vomitus haud eveniat, sed intra illum temporis *terminum* comprehendatur, quo Menses adhuc *fluere* deberent: vix vero hæc Hæmorrhagia *junioribus* facile puellis obtingit, quin potius paulo *adultioribus* & ferme in *medio* termino totius & *universi ambitus* quo *Menses* currere, recurrere & decurrere solent, confitutis obveniat: quando vero mensium fluxus *justa* ætate absolute *cessavit*, non facile invadit subjecta: quod si vero contigerit, ut *prematuro* menstrua purgatio in *fœminis* *activioris* animi cessaverit, vel si *circa* legitimum *sum* *exiitum* cum *eximia difficultate* procedat, aut *defective* etiam succedat, interim aliæ *immoderate*, præcipuè *anostericæ* commotiones concurrant, tunc etiam vel *anostorem* periodum hic cruentus vomitus ingreditur, vel planè Mensium *cessationem* comitatur, tanto magis in *fœminis* *præcipitis* & *impatiens*, nec non multis *patheticis* commotionibus indulgentis, activitatis. Quod si etiam in *fœminis* *hereditarie* quædam anomalie circa mensium successum obtingant, tunc evenit subinde ut ætate *juniores* ad cruentum vomitum disponantur: id quod etiam contingit, si puellis mensium *suppressione* laborantibus, *vomitoria* remedia offeruntur, utpote quæ ad *citorem* cruenti vomitus *invasionem* *viam* aperiunt & *motus* provocant; quales posteriores circumstantiæ in reliqua Historia practica bene discernendæ sunt.

§. VIII.

Dum itaque in vomitus cruenti explicatione *sequior* sexus majorem attentionem meretur, ita in hoc adhuc aliquas circumstantias annotare lubet, & quidem quod in genere ad hunc affectum *activior* & *immoderatio* indoles contribuat; unde *fœminæ prædominantis* phlegmatici temperamenti non facile huc inclinant; interim

C

&

& *sanguineum* & *cholericum* temperamentum aliis prævalet; licet cum tali reliqua temperamenta commixta esse possint; unde sanguineo-melancholici, melancholico-sanguinei, cholericomelancholici, melancholico-cholericici, cholericophlegmatici, sanguineophlegmatici temperamenti fœminæ huc inclinant: requiritur itaque ad ejusmodi *extraordinarium* actum, *major* animi alacritas, quæ licet non statim quoad *externum* impetum manifesta sit, tamen *tacito* & *intimo* suo successu sese comprobat: hinc tales fœminæ ut plurimum animo *mobiles*, *molles* atque *sensibiles* deprehenduntur, *contumaces* tamen, *impatientes* atque *immorigeræ*; in quibus subinde *inordinati* mores obtingant, quales vulgo dicuntur *heintüßisch*, *eigensinnig*, *unartig*; sed quæ præterea ad *extraordinarias* resolutiones *præcipites* sunt, atque facile *excedunt*: neque tantum hi consueti mores in iisdem observantur, sed & singularis proclivitas ad immoderatas *parheticas* commotiones in illis advertitur; unde faciles sunt ad *iracundiam* & illam quidem magis *tacitam* atque *tenacem*, quam *imperuosam* & *violentam*, nec non ad *desideria* immodica aliasque tales animi passiones, quæ multam *commotionem* inferunt; siquidem non modo ad *primam* hujus vomitus invasionem talia *parhemata* contribuant, sed ad *revocationem* illius apprimæ satisfaciunt; sicuti hujus circumstantiæ mentionem fecit *Celeb. Stahlus tam in Epist. de Motu Tonico vitali* quam in *Pathologia* sua: illud vero adhuc hac occasione significare volumus, quod hic affectus ad *rariores* fœminarum morbos pertineat; quemadmodum præ aliis *communibus* maximeque notis Hæmorrhagiis *infrequentior* existit, ut sua raritate propterea *alios* infrequentes sanguinis fluxus *superet*: quam rarus vero est in se spectatus, tam usitatus vero aut *magis familiaris* esse observatur in *fœminis*, quam in *viris*, utpote *distincta* & *eximia raritas* in viris eo magis de  
in-

*incongrua* illius ratione & relatione erga *virilem* sexum testimonium quoddam perhibet, siquidem propterea cum majori *omine* hoc affectu viri laborant, quam *fœminæ*.

§. IX.

Dictum fuit, quod hic affectus *masculinum* sexum *rarissime* omnium occupet, ubi subinde certæ *circumstantiæ* annotandæ sunt, quæ vomitum cruentum in viris *comitantur*: etenim Historia practica testatur, quod non nisi ejusmodi viris evenerit, qui 1) molesto & gravi affectu *hypochondriaco* diutius laborarunt, 2) in quo subinde iniquæ & *incongruæ* tractationes occurrere 3) quæ vel in perverfis *artificiis*, 4) vel in turbulento *regimine* & *prava diæta* consistunt; siquidem 5) etiam mali ægrotantium *mores* & 6) tacita atque immodica *pathemata* animi, ut iracundia & mœror non parum contribuant; 7) accedit etiam multa *sedentaria* vita, qua ejusmodi hypochondriaci utuntur, nec non 8) *alsi* frequens occlusio atque 9) *parcus* potulentorum usus; præprimis quando 10) ita affecti valde *nauseabundi* sunt, atque frequentes molestias *ex ructibus* experiuntur, aut quando 11) multum cum *anotERICA* stultentia anguntur & subinde 12) plurimos suos urgentes cruciatus in *sinistro* hypochondrio perferunt, qui 13) *irregularibus* & interdum *repentinis* commotionibus corpus exerceant, maxime vero qui sub toto hoc statu 14) artificialibus *vomitiviis* vexantur & quando 15) in ejusmodi subiectis *frequens nausea* atque 16) ventriculi molesta tensio atque *orsio* concurrat, ut & quando 17) ita affecti hypochondriaci homines, interdum *spirituosa* & sanguinem valde *turgesfacientia* ingerunt, aut quibus 18) fluxus aut motus *hæmorrhoidales* repressi & per *vomitiva* remedia in *hypochondriorum* regionem seducti fuerunt, aut quando viri 19) diuturna *quartana* vexantur, & sub reliqua alvi *segnitie* copiosis *adstringentibus* offendun-

duntur, ut tandem in hypochondriis, maximè vero *seni-  
stro* ominosa oppletio obtingat, quæ denique sub conti-  
nuatione *perverse* medendi methodi, aut sub concursu  
*animi pathematum* in talem perruptionem atque even-  
tum definit: & quemadmodum 20) cum *scorbuto* afflicti  
viri tales recensitarum circumstantiarum in reliqua sua ca-  
lamitate experiuntur, ita interdum vomitus cruentus  
scorbutum *comitari* solet; tanto magis vero si *vomitoria*  
remedia minus consulto offeruntur, sub mali *exacerbatio-  
ne* obruduntur, aut aliquoties etiam inopportunè *re-  
petuntur*: ubi 21) minime hanc circumstantiam peculi-  
aris momenti omittèrè aut prætervidere lubet, quando  
viri ex *hereditaria dispositione splenetic*, aut *hemorrhoida-  
les splenetic* cum *vomitoriis* & acribus *stomachicis* medica-  
mentis offenduntur; utpote quales circumstantiæ, ex-  
actè ad Historiam Practicam spectantes, occurrunt,  
quando viri cruento vomitu afflicti conspiciuntur.

§. X.

Deinde de hoc vomitu cruento in *viris* notandum  
est, quod communiter *impetuosior* & *acerbior* sit ac in *fæ-  
minis*, subinde etiam *diutius* duret, neque ita facile sua  
*spon*te desinat, uti interdum in *fæminis* sponte cessat, pro-  
ptereaque *periculosior* existat, cum variæ aliæ *accidentales*  
circumstantiæ coincident, quæ eundem ominosum red-  
dunt: tanto certius vero notabile periculum involvit,  
quando sæpius recurrit, in *viris*, unde *Cardanus in aphorism-  
um* 2. *Lib. IV.* dicit: quod *plures fæminæ. pauci autem viri sine*  
*periculo ex vomitu cruento periodico evaserint: conf. Schenckii-  
us Lib. III. de sanguinis vomitu obs.* 3. quando vero *Hemorrhoi-  
des suppressas* hic vomitus sequitur, tunc vix ita *confestim*  
periculosus esse observatur: siquidem singularia exempla  
occurrunt, quæ in *viris* hunc vomitum plane *innocuum*  
prædicant, è quibus peculiare illud est, quod *Plinius* de  
viro allegat, qui cum *annuo vomitu cruento* ad notabile  
seni-

senium pertigit quando *Lib. XI. obs. 38. Hist. Nat.* illum ca-  
 sum proponit de fene, qui cum annuo tali profluvio san-  
 guinis ex ore, *nonagesimum* annum excessit, id quod *Schen-*  
*knius l. c. obs. 2. de vomitu cruento* interpretatur: quemad-  
 modum *Ioachimus Camerarius obs. 155. de foemina* affeverat,  
 quod cum tali vomitu ad *nonagesimum sextum* annum per-  
 tingerit: de reliquo vero etiam *Historia practica* testatur  
 quod in foeminis hic vomitus facilius in *habitum* aliquem  
 degeneret & *periodicus* evadat, minus vero facile nedum  
 quidem saepe in viris: quodsi etiam à diversis observatori-  
 bus vomitus cruentus in viris innoxius deprehensus fuit,  
 tunc singularis circumstantia interdum concurrir, quam  
 proinde ipsi aliquando recentent, sicuti talis historia al-  
 legatur in *A. N. C. Dec. II. An. VII. obs. 199. Dec. III. An. VII.*  
*& VIII. obs. 212. conf. Zacus. Lusitanus Med. Princ. Hist. Lib. II.*  
*Hist. 10. Rasisus Lib. 9. continent. tract. 2. c. 2.* ubi ejusmodi ex-  
 empla plura occurrunt, quibus *salubritas* vomitus cruen-  
 ti in affectu *splenetico* confirmatur: quanquam hæc utili-  
 tas non omnibus exinde affulgeat; *conf. Marcellus Dona-*  
*tus Lib. IV. de medic. hist. mirab. c. 9.* & quanquam contingat,  
 ut in ejusmodi *lienis induratione* superveniens vomitus  
 cruentus talem infarctum *referet* atque tollat, tamen su-  
 spicio manet, ne in *futurum* pravi successus accidant, un-  
 de de talibus *Lienosis Dodoneus* scribit, quod ex *recurrente*  
 vomitu cruento pereant: uti *Forestus* ex eodem profite-  
 tur *Obs. Medic. Lib. XVI. obs. 24. in Schol. scribit Dodoneus* se  
 multos cognovisse sanguinem vomitione ex *Liene* rejicientes,  
 qui pallentes fuere & in quibus saepe numero *sinistro* hypocho-  
 ndrio tumidus splen manifeste (ut in illo qui sanguinem copiose  
 ex *Liene* evomebat) sentiebatur sed ante vomitionem; nam ex  
 vomitione exonerato jam splene subsederat tumor, nec depre-  
 hendi poterat: plerique horum *tertia* aut *quarta* vomitione vel  
 etiam *frequentiore* (multis inter singulas mensibus, ut pluri-  
 mum inter mediis) perierunt.

Occasione præsentis considerationis de vomitu cruento in *viris* institutæ, notare debemus, quod ob *splenis* affectus interdum viri huic *vomitioni* subiciantur, sub illa tamen diversitate, ut si tempestivè hoc contingat, haud ita *periculosus* deprehendatur talis vomitus, modo non nimis *sepe* revertatur: si vero ejusmodi splenis infarctus *diutius* durarunt & tunc denique vomitus ille supervenit, vix aliquam *salubritatem* affert, licet utilitatis cujusdam *simulatio* occurrat, quæ *adultioris* illius infarctus *abolitionem* promittere posset: unde etiam in loco citato *Forestus* dixit: quibus ex *Liene* sanguis funditur, raro in prima vomitione deficiunt, sed vel recurrente subinde sepius vomitione pereunt, veluti cuidam accidit cum tertia vice vomitione sanguinis ex *Liene* utcumque copiosa laborasset, & hic quoque obiit: sicut de tali vomitu cruento ex *tumore* & *infarctu* *Lienis* orto *Schenkius l.c. obs. s.* confitetur: tertia aut quarta vomitione vel etiam frequentiori perierunt: ita enim experientia attestatur quod ejusmodi cruentus vomitus periculosus & prævulgari *sceminarum* vomitu sanguinis ominosus sit, qui subiecta corripit, quæ *alio morbo* diu defatigata sunt præcipue quæ diuturno & *corrupto* affectu *hypochondriaco* aut *splenerico* laborarunt, ubi denique ex aliquo vitio dietetico, aut *animi* pathemate sanguis intra cavitatem ventriculi eructat: tanto certius & citius vero hæc evomitio periculum suum infert, quando *prodiga*, *immodica*, *anxia* & *impetuosus* est, quando sanguis *nigricans* instar tenacis *axungie* excutitur, ubi quidem contingit ut præcedens *scirrhus* *lienis* *detumescat*, sed eo ipso hoc viscus *flaccidam* aliquam debilitatem nanciscatur, dum hætenus adeo distentum fuit; intra quod si denuo *stordior* sanguis affluit, hic vel repente in *stasim* emortualem delabitur, & *corruptionem* putridam concipit, ut præceps periculum imminet, vel pessima *confectaria* inde metuenda sunt, ut vel

*recursus* ejusmodi suspecti vomitus cruenti vel *tabes hæctica, œdemata, ascites*, &c. vitam abbrevient: ex quo facile liquet, quam *equivoca* sit illa salubritas, quæ ex vomitu cruento in *lienosis* promittitur: ita *Dodoneus obs. 26.* allegat historiam *lienosis*, cui vomitus cruentus obtigit, in quo demortuo lien *corruptus* deprehensus fuit: contra vero *Rafis Lib. 9. tr. 2. c. 1.* recenset historiam fœminæ *lienose*, in qua cruentus vomitus *utilis* observatus fuit. Denique repetita vice commendamus, quod in *viris* ille vomitus cruentus eximiam attentionem mereatur, qui cum *Hæmorrhoidum* fluxu vel *alternat*, vel illius *suppressionem* excipit.

§. XII.

Sed cum ultima hæc observatio paulo curatiorem attentionem mereatur, ita illius hoc loco seorsim mentionem facere placet; videlicet quod viris aliquando vomitus cruentus obtingat ex *Hæmorrhoidum suppressione*, imprimis *repente* facta; quando post prægressâ molimina *spasmodica hypochondriaco-hæmorrhoidalìa* denique *Hæmorrhoides* actu erumpunt & aliquandiu succedunt, si sub hoc *fluxu* repentina quædam incommoda obtruduntur, maxime vero si immoderatiores *patheticæ* commotiones committuntur, unde hæmorrhoidalis purgatio sub reliqua vegeta humorum *commotione* repente *subsistit*, inde evenit, ut sub *immoderatiore* gradu motus *sursum* transeant, adeoque *spasticæ*, tensoriæ, rigidius & sensibilius strictoriæ commotiones denuo *hypochondriorum* regionem invadant, quidquod confestim *abvis* firmiter occluditur; *obrigescunt* extremitates, corripit inopina *angustia* & præcordiorum arctatio, ut frigidus sudor, erumpat & extrema membra *frigescant*; opprimitur *respiratio*, obnubilantur sensus, invadit *vertiginosa* perturbatio, maximè vero angit dolor in *sinistro* hypochondrio, accedit interdum *internus ardens*, concidunt vires,



obscurantur oculi, cordis motus est *durior* & *plenior*, supervenit *nausea*, *torsio* ventriculi, conatus ad vomendum, propensio in *lipothymiam*, denique sequitur ipse actualis vomitus cruentus, sub impetuosis prosecutionibus, qui subinde in tali scena fatis diu continuat admodumque affligit: quo *impetuosius* itaque hic vomitus decurrit, eo certius *periculosus* confectionibus subjectus est; quo *moderatus* vero in hoc statu procedit, eo minus suspectus est, sed eo magis exinde aliqualis *salubritas* colligi & observari potest: quodsi vero tunc *frequentius* recurrat & sub quolibet recurfu *vehementius* insistat, tunc periculo non vacat, licet observatores testimonium suum interponant, quo repetitum etiam vomitum cruentum hæmorrhoidalem ut innoxium producant atque confirmant: interim illud adhuc hac occasione inculcandum erit, quod hic vomitus cruentus, qui in Hæmorrhoidum *vicarium* subsidium administratur, & in masculino sexu succedit *sensibilior*, mobilior atque *intricator* existat, quam alter, qui in *sequiori* sexu *menstruæ* purgationis vices supplere debet; ut ita ubique vomitus cruentus in *feminis* comparative *benignior* esse deprehendatur; sicut hætenus per plures animadversiones de vomitu cruento in *viris* actum fuit.

§. XIII.

Revertimur iterum ad vomitum cruentum in *sequiori* sexu explicandum, de quo in præcedentibus dictum fuit, quod ratione suæ durationis *brevior* existat, neque ita vehementer insistat, nisi hoc in extraordinariis casibus contingat, unde etiam vel *sponte* iterum cessat, sed subinde *facilius* iterum *redit*, ita ut propterea vel in suspectum *habitum* degeneret, ubi fœminæ ita afflictæ vix levi *paethica* commotione irritantur, quin illius insulantes *apparatus* atque elucationes experiantur, vel certis *periodis* revertatur; unde tot observationes passim leguntur,

guntur, quæ vomitus sanguinis *menstruum* decursum aut recursum commemorant; aut quomodo vomitus cruentus ob Mensium vitia toties insultet, quoties illud tempus revertitur, quo *mensis* recurrere & *erumpere* deberent: quam circumstantiam præ aliis in variis locis explicavit *Excell. Stablius*, quo benevolum Lectorem remittimus; sicut non necessarium esse existimamus, quo multas observationes seorsim recenseamus, quæ de *menstruo* cruenti vomitus recursum testantur, è quibus multis allegamus *A. N. C. Dec. I. an. 1. obs. 95.* ubi demonstratur, quomodo hic sanguinis vomitus per *mensium restitutionem* curatus fuerit, quo ipso subinde veritas aphorismi *Hippocratici*, de hoc sanguinis vomitu differentis, confirmatur: ita *Sal-mubus Cent. II. obs. 3.* ejusmodi frequentem & *periodicum* vomitum recenset; & licet circa illa tempora, quibus *Menses reverti* solent, non semper in *foeminis*, quibus semel talis vomitus obtigit, *actualis* talis hæmato-emetica eructatio eveniat, tamen *molimina* illa, ad hunc vomitum collimantia, ad minimum *redeunt*, quæ eminentes suos cruciatus exquisite inferunt: & sicut aliæ *foeminæ*, mensium *defectu* laborantes, circa *illa menstrua* tempora non raro *morbidas* suas afflictiones, cum mensium negotio *parallelas*, experiuntur, ita si ejusmodi mensium *anomalias* vomitus cruenti molimina excipiunt, tunc comuniter eadem circa *menstruos* recursum suam tragoediam ludunt, ut posthac facilius plenaria *adsuetudo* in hac Hæmorrhagia occupet: & licet hic cruentus vomitus in mitiori & simpliciori suo decursu in *sequiori* sexu non statim horridus aut *periculosus* sit, tamen si in talem *habitum* degenerat aut *impetuosus* decurrit & recurrit, non absque omni periculo & *suspitione* esse observatur.

§. XIV.

Quod vero *specialiorem* invasionem atque decursum vomitus cruenti attinet, tunc sequentia phænomena at-

D

ten-

tendenda sunt: præcurrunt ut plurimum *inordinatæ* alvi excretiones, quid quod nonnunquam alvus plane sicca & *obstructa* occurrit: deinde antecedunt insolitæ quædam commotiones *tensoriæ* atque *strictoriæ*, quæ successive magis ad *præcordia* tendunt; tandem sese ut plurimum in *sinistrum* hypochondrium dimittunt, ibique *fixius* hærent atque affligunt, ut non modo *sceminæ* in eodem *sensibiles* dolores experiantur, sed & unâ *respiratio* laboret: unde *eximia præcordialis angustia* concurret, quæ interdum in illum sensum transit, quem exprimunt: es *wolle ihnen das Herz abstrucken*: & talia *cardialgica* pathemata nonnunquam ita exacerbantur, ut *semi convulsiva* reddantur: angitur inde ipse *animus*, & in regione *hypochondriorum* magna inquietudo percipitur: facies interea *pallet*, oculi *obscurantur*, contrahitur superficies corporis, *obrigescunt* extremitates membrorum & subinde *frigescent*, erumpit sub eximiis angustiiis *sudor frigidus*; alternat quandoque molesta *phlogosis*, pulsus est *durus*; vires *eximie languent*, somnus est *perturbatus* & imminutus: deficit *appetitus*, & si alimenta, imprimis *solidiora*, ingerunt, longe pejus habent & intensiores *angustationes* perferunt: concurrunt *cardialgico-spastici*, *hypochondriaco-hysterici* cruciatus; nonnunquam percipitur in regione *ventriculi inflatio* & dolorifica *durities*, ut propterea eandem regionem *atingere* non queant, cum dicant: es *thue ihnen so wehe wie Blut-Schwären*: aliquando *caput* unâ affligitur & quidem *vertiginosa* temulenta & *oppletoria* perturbatione; accedit denique *nausea* & *sensibilis torsio* ventriculi; interea vero in *superficie* corporis, *venæ*, quæ ante conspicuæ fuerant, *evanescent*; tandem sub continuatione prædictarum angustiarum & *lipothymie* in valescens metu sequuntur *conatus* vomendi, quin denique ipse *actualis* cruentus vomitus supervenit, qui per vices & intervalla repetit & continuat, ut interdum *fatis* notabilis san-

sanguinis quantitas rejiciatur: & hic vomitus tam diu *in-*  
*festus*, quam diu *angustie* illæ *cardialgicæ* & *sinistrum* hypo-  
 chondrium detinentes, continuant: coguntur itaque fœ-  
 minæ, quo decumbant, quæ quotiescunque corpus *eri-*  
*gunt*, toties non modo prædictas *capitis* afflictiones, sed  
 & reliqua *incommoda* sensibilibus experiuntur: exturbatur  
 vero sanguis vel in forma *frustorum grumorum* interd-  
 um magnitudinem ovi æquantium, quando vero vom-  
 itus nimis cito se invicem sequuntur, adeoque *largius* &  
*celerius* sub majori apertura, intra ventriculum facta, san-  
 guis in cavitatem hujus transfuit, tunc etiam interdum  
*fluidus* sanguis evacuatur.

§. XV.

Sicut hæc familiaria signa sunt, quæ vomitum cru-  
 entum produunt & comitantur, ita ulterius annotari de-  
 bet, quod longe *immoderatio* ille fiat, quo magis alvus  
*occlusa* est: quando vero post aliquam moram cessat, tunc  
*virium* defectus aliquandiu continuant; facile vero ite-  
 rum redeunt, donec hæc tragœdia alia occasione rever-  
 tatur: illud vero iterato inculcamus, quod tales fœmi-  
 næ communiter *mensium vitia* patiantur, sive imminutio-  
 nem sive plenariam suppressionem; uti interdum in pra-  
 xi medica talia exempla occurrunt, ubi *Menses* & *vomi-*  
*tus cruentus* inter se *alternant*, licet illi *parcius* magisque  
 irregulariter decurrant: neque defunt exempla ubi *gra-*  
*vidis* cruentus vomitus obtigit, quorum observatores et-  
 iam passim reminiscuntur, ut *Salmuthus Cent. II. obs. 54.*  
*Bartholinus Hist. Anat. Cent. I. obs. 19. A. N. C. Dec. 1. An.*  
*IX. X. obs. 6. & 20. &c.* ex quibus aliqua *innocuum* alia ve-  
 ro *noctivum* talem vomitum produunt: interim rarissi-  
 ma talis est observatio, inter omnes reliquas: neque si-  
 lent medici de vomitu cruento in *puerperis*, quemadmo-  
 dum *Hippocrates* hujus phænomeni duplici loco remini-  
 scitur in *Libr. de Nat. Mul. S. 46. & de Morb. Mul. S. 72. Si*

ex partu sanguinem vomat, hepatis fistula fauciat a est & dolor ad viscera procedit & cor convellitur; minime vero placet hoc loco latius de tali vomitu cruento differere; utpote qualis perinde præ alia specie rarior est: illud vero ex observatione medico-practica adhuc adjiciendum est, quomodo interdum *suppressi* Menses *impregnationem* aliquam mentiantur, ut abdomen *intumescat* & *indurescat*, *cardialgie* & *tensorie* molestiæ occupent, quæ à credulis minusque peritis foeminis cum ingravidationis signis *confunduntur*; affligunt unà *conatus vomendi* cum multa nausea, donec tandem superveniens *vomitus cruentus* dolum prodat & omnis spes *impregnationis* concidat; qualem Historiam commemorat *Hagendornius A. N. C. Dec. I. An. III. obs. 218. de falsa ingravidatione vomitu sanguinis coagulati detecta*: denique etiam accidit, ut sub *copiosiori* sanguinis transfusione intra ventriculum supervenientes motus *excretorii*, non modo *exacerbata* sua efficacia sanguinem aliqua quantitate *sursum*, quadam etiam, uno eodemque impetu *deorsum* expellant; sicut in *cholera morbo*, bilis per *vomitum* & *purgationem* ejicitur.

§. XVI.

Ne vero statim hanc historicam vomitus cruenti descriptionem abruptamus, superest quo adhuc aliquot *Prognosticas* animadversiones annectamus, & ita denuo indicamus, quod hæc evomitio sanguinis in *feminis* haud ita *suspecta* sit ac in *viris*; & licet una aut altera vice hic vomitus in *viris* non *confestim* perniciem suam inferat, tamen *proximus* illa ingruit, tanto *citius* vero supervenit, quo magis *pregressi* insultus per famosa *adstringentia* & *opiata* cohibiti fuere; hinc ut plurimum excipiunt vel abdominis *indurationes* & *intumescencia*, vel atrocissimi affectus *hypochondriaci*, aut suspecti & periculosi *splenerici*, vel *scirrhi hepatis*, vel *rabes*, *icterus flavus* & *niger*, *hectica*, *appetitus* perpetuus defectus, *oedemata*, *hydrops* &c. qui *singuli*

guli affectus ut plurimum *funestum* eventum nanciscuntur: quodsi etiam contigerit, ut ejusmodi vomitus ex *inversis* motibus *hæmorrhoidalibus*, aut plane *suppressis* Hæmorrhoidibus ortus sit, tunc *melius* signum est, si Hæmorrhoides *redeunt*: quo *sepius* contra & per *brevia* intervalla in *viris* sive in *feminis* per communia *adstringentia* suppressus fuit, tunc *facilius* accidunt pathemata *cardialgico-suffocativa*, *convulsiva hypochondriaca*, *hysterica* aut *asthmatica*, & contumacissimæ *alvi* oppresiones: Rarissima sane sunt exempla vomitus cruenti *absolute* innocui, quando illum natura, ut *consuetum* actum administrat, sicut *Panarolus Pentacost. I. obs. 6.* fœminam allegat, quæ *singulis* Mensibus usque in *Senium* per ventriculorum *Menses* evacuavit; & uti similem salutarem cruentum vomitum recenset *Rhodijs Cent. II. obs. 94.* quem vomitum si medici *cobihere* voluerunt, ægrius exinde habuit fœmina, missis pluribus testimoniis: ita enim in fœminis non ita *subito* perniciosus est, nisi cum maximo erumpat *impetu* & *immoderate* continuet, ut limul & semel metus mortis adsit. Si tamen *frequentius* recrudescit aut in pravum *habitum* abit, neque tunc unquam à *suspensione* & *periculo* liber est, sed œconomiam vitæ & sanitatis admodum turbat: quodsi vero hic vomitus cruentus in fœminis *repente* opprimatur, præcipuè per *adstringentia*, tunc *facilius* insequuntur pathemata atrocia *hysterica*, *suffocativa*, *strangulatoria*, *convulsiva*, *colico-convulsiva* *cardialgico-convulsiva*, aut *cachectica* & *hectica*, imo talia *stipende* convulsiva, quæ aliàs Mensium *anomalias* sequi solent: quod negotium latiori deductione explicavit *DD. Praeses in Dissertatione de Mensium anomalis convulsivis.*

§. XVII.

Quod in genere attinet iudicium de vomitu cruento, tunc *Hippocrates Sect. VII. aph. 37.* dicit: qui *sanguinem* vomunt, *siquidem sine febre*, salutare: si vero cum febre, *malum*

*lum*, quod iudicium etiam *Celsus* allegat *Lib. II. cap. 6.* & testatur etiam *experientia*, quod vomitus cruentus in affectu acuto longè *periculosior* sit, quam in alio statu: imprimis vero annotarunt jam veteres medici, quod ejusmodi vomitus, qui circa *criticum* diem & sic dicto *tyrannico* die contingit *lethalis* existat: quid quod illa omnino *periculosa* & suspecta est circumstantia, si vomitui cruento *febris* accidit: proinde ad *Prognosin* de vomitu hoc formandam illa observatio *Senis* spectat, quam superius produximus ex *Seç. V. aph. 32.* & quam *Celsus Lib. II. cap. 8.* ita repetit: *Mulier sanguinem vomens, profusis menstruis, liberatur:* id quod *Hippocrates* repetit *de Morbis Lib. I. §. 6. text. u.* *Mulieri sanguinem vomenti, Menses erumpere, bonum:* id quod etiam optimum est indicium: contra vero *quam diu* menses *suppressi* manent, *tamdiu* status ita affectarum foeminarum suspectus est, ita ut sub *justa interpretatione* illa *Hippocratis* annotatio salvari possit, quando *Seç. IV. aph. 25.* dicit: *sanguis sursum quidem, qualiscunque sit malum: deorsum vero bonum, niger subitu: secedens:* proinde *experientiæ* magis consona est illa observatio, quod foemina vomitu hoc afflicta non satis apte reperiantur ad *concupiendum*; siquidem ut plurimum *mensum turbe* negotium *fecunditatis* turbant, ni specialissima & rarissime observationes obfent, quo illam referimus, quam *Hippocrates* proponit *Coac. Prenot. §. 3. text. 460.* *in sterilibus & non parientibus sanguinis vomitus ad conceptionem prodest.* Si post cruentum vomitum diu remanet *decoloratio* faciei, appetitus *languet*, status *asthmaticus* detinet, alvus *sicca & stricta* manet, eibus *ingestus angit*, abdomen *induratur*, in sinistro hypocondrio *obscuri dolores* aut *tumores* persistunt, *malum* est signum: quando sanguis intra ventriculum *profusus* non sufficienter *evacuatus* est, sed retentus, ut *putrescit*, pessima symptomata accidunt: videlicet *extremæ angustationes, dipnothymia, suspectæ torsiones* ventricu-

li & intestinorum, *frigidi sudores, dissolutiones virium, angor animi, caligo oculorum &c. de periodico denique vomitu cruento practici magis benignius iudicium ferunt, quam de irregulari & exorbitante: quæ singulæ animadversiones ad prognosticam præsentis thematis tractationem pertinent.*

§. XVIII.

Jam vero in ordine ad causalem five *Pathologicam* vomitus cruenti explicationem progredimur, quam præmissæ Historiæ preliis accommodare lubet: & dum ad hætenus explicatam cruenti vomitus *speciem* animum dirigimus, mox in memoriam venit, quod *Galenus de symptom. differ.* dixit, nimirum *vomitum sanguinis non ad symptomata, sed ad opera naturæ reponendum esse; cum quo dicterio convenit iudicium Avicennæ fen. 10. l. 3. tr. 3. c. 4.* quando asserit, non *omnem* vomitum cruentum *perniciosum* esse, unde aliquam illius *speciem* pro *actu naturæ*, à causa molesta sese *exonerantis* habet atque declarat quo referri meretur testimonium *Hæchsteri Dec. 2. cas. 6. Schol. p. 163.* ubi vomitum sanguinis actum naturæ vocat ad imminuendum sanguinem onustum & superfluum directum: & ita etiam bene assequimur, quod juxta antiquissimos & alios medicos hic vomitus cruentus, cujus in *principaliori* respectu hætenus mentionem fecimus, non sit *turbulentus* aut *confusus* actus sed singularis *naturæ* operatio, qua sanguinem *superfluum* & simul *molestum* per *superiorem* corporis regionem eliminare contendit, quando in *catore-rica* illius salutaris excretionem *impedita* fuit: etenim ille mos est naturæ, ut dum in *uno* loco atque exitu vel delinquit, vel præcluditur, ad *aliam* partem atque regionem confugiat. Siquidem juxta scholasticum versiculum *mus miser est antro, qui tantum clauditur uno; quidni natura illa committat? quæ aliàs corpore suo utitur per proportionatos motus & ordinatos effectus; unde etiam tam ex-*  
qui-



quisitis encomiis exornatur, quod sit *benigna, sapiens, intelligens* &c. ob id non modo in genere exacta communio occurrat inter *Mensum* atque *Hæmorrhoidum fluxum*, & *vomitum cruentum*, sed & illa harmonia etiam ad *specialem* motus sanguinis *progressivi* participationem sese extendit, ut propterea *majori* jure & ratione ad *superius* directiorum provocemus, quam ad *tumultuarium* aliquem effectum: eo majorem vero attentionem & considerationem requirit illa circumstantia, quod hic affectus tam *exquisita tempora* servare & *justis periodis* recurrere soleat, imo quod per *animi pathemata* invitetur & vicissim etiam exacerbetur; quippe quæ conditiones vix facile nudo *corpori* & *meris* rationibus *physicis* adscribi possunt, ni petitionibus principii se immergere animus sit: neque etiam ipse *locus*, videlicet *ventriculus*, tam *facile* ejusmodi effectui obtemperat, ni *speciali* restrictione eò motus *dirigantur*, quæ illo respectu nititur, quod *singulari* modo & *infolita* atque *extraordinaria* ratione sanguis ex eodem expellendus sit: contra vero longe *simplicior* illa est *demonstratio*, quod *Mensum* & *Hæmorrhoidum fluxus* legitime decurrens, teste innumera experientia, *salutaris* sit, quod porro non salutare sit, si *Menses* & *Hæmorrhoides* *supprimuntur*, quod vero *suppressis* illis *vicaria generica* sit salubritas, si è loco singulariter *consentiente* sanguis effunditur, quem ultimum actum propterea non *corporis*, sed *naturæ* esse concludimus.

§. XIX.

Ob id maxime convenit causas *violentas*, cruentum vomitum provocantes, discernere, a reliquis causis, quæ ad certum *scopum* directæ sunt; siquidem nimis imperfecta nobis videtur illa assertio, quasi nuda *regurgitatio* aut confusa quædam *strictura* hanc perruptionem sanguinis intra ventriculum absolvat, dum quoad *suppositam vagam* & *vanam* restagnationem non infimæ dignitatis quæstio movetur, cur æque ex *suppressis* Hæmorrhoidibus aut *Mensibus* sanguis in tam *disstrum* locum restagnat, è quo actu-

actualis perruptio & *preter naturam* retenti illius sanguinis vicaria evacuatio contingit: ubi juxta leges *hydraulicomechanicas* proximiores restagnationes non in *diffitas* sed in *vicinas* partes transeunt: neque etiam *confusa* quædam strictura ad *accuratam* talem extravasationem sanguinis satisfacit, aliàs omnes *hypochondriaci* & *hysterici* patientes, ob *atrocissimos* suos spasmos periculosissimas eruptiones sanguinis, si non æque intra ventriculum, tamen intra reliquam *abdominis* cavitatem experirentur: constat potius ex *Hæmorrhagarum* negotio, quod accuratæ & *proportionatæ* motuum *congestorio-spasmodicorum* applicationes & *concentratæ* restrictiones ad *congrua* loca, eruptioni *facilius* inservientiã, requirantur, quando *actualis* effusio sanguinis contingere debet: ex eo etiam distinguuntur *vana* & *vaga* molimina hæmorrhagica quæ in *irregulari* & exorbitante *congestorio-spasmodica* commotione consistunt, à reliquis *regularibus* & proximis motibus hæmorrhagicis: e qua consideratione itaque denuo colligimus, quod ejusmodi cruentus vomitus minime fortuitis atque *turbulentis* causis adscribi debeat, sed quod totus *apparatus* atque *decursus* illius, *rationabili* directorio subjectus sit; quemadmodum non modo in hac Hæmorrhagiæ specie causæ *inter se* exacte respondent, sed & reliqua *phenomena* ad confirmandas causas apprimè quadrant: ad quas animadversiones inter alias, etiam hæc merito accensenda est, ut, dum fœminæ ordinariè ad *menstruas* evacuationes *adsuetæ*, & in negotio hæmorrhagico administrando *habiliores* & *exercitiores* existant, eadem etiam non modo vomitum cruentum *usitatus*, quam viri, sed & *sæpius* experiantur, ut denique illis *menstruis* periodis cum apparatibus suis recurat, quibus *legitimus* Mensium fluxus obtingere deberet: propterea etiam hæc Hæmorrhagia in fœminis haud ita *animosa* est ac in viris, quia hi in Hæmorrhagiis inducendis non *æquali* gaudent *capacitate*; qui ob

inſuetudinem talem facilius cum hoc vicario actu hæmorrhagico in evidentem aliquem errorem delabuntur.

§. XX.

Sed quo *confanguinitas* inter *Menses*, *Hæmorrhoides* & *Vomitum cruentum* magis inclareſcat, ita memori mente notandum eſt, quod per Menſtruum & hæmorrhoidalem internum fluxum, non ita indiscretim ſanguis in genere effundatur, ſed quod præcipue ſanguis *hypochondriacus* ventiletur, qui per diffuſam *Vene Portæ* diſiſionem profluit; unde per *fluxus* illos tota *Vena Portæ* cum *commixis* viſceribus eximiè liberatur & *sublevatur*; viciffim vero per *deſectum* horum fluxuum partes & regiones ille admodum offendentur & nimia oppletionem atque moleſta oneratione ægre afficiuntur, ſubinde etiam ſub *difficiliori* fluxuum illorum ſucceſſu *molimina* excretoria, per *illa conſinia* decurrunt, ubi *Vena Portæ* diſpergitur: ſi itaque tum *Menses* tum *Hæmorrhoides* internæ *ſubſiſtunt*, nullum *ſimplicius* aut *conſultius* auxilium *vicarium* à natura invenire poſſet, niſi ut ſanguinem moleſtum atque ſuperfluum non ultro retineat, ſed ex alio loco, non *nimum* periculoſo eliminat, & quidem è *tali*, qui perinde cum *Vena Portæ* *coheret*, & *reſtuum* ſuum ſanguinem *intra* illam transfert; unde contingit, ut ſi ex ejuſmodi parte ſanguis evacuatur, æque *Vena Portæ* à nimio ſanguine liberetur, ac ſi *Hæmorrhoides* interne vel *Menses* procederent; ad ejuſmodi partes vero merito referendus eſt *ventriculus*, qui ſanguinem à *coliacis* arterioſis ramis, intra texturam ſuam receptum, partim per *vaſa brevia* aut ad *ſplenem* aut in *Splenicam venam*, ordine primùm, partim per *gaſtricas* venas ad *Venam Portæ* denique transmittit, ut propterea è ventriculi *textura* effluens & per ventricululum expulſus ſanguis, illam ſanguinis quantitatem imminuat; quæ alias *Vena Portæ* infunderetur; ex eo itaque accurata illa *communio*, eluceſcit inter vomitum cruentum & prædi-

ctos

atos reliquos sanguinis fluxus, utpote quæ consideratio eo apprimè inservit, quo ulterius confirmemus *genericam* salubritatem hujus Hæmorrhagiæ, aut quod vomitus cruentus non sit *turbulentus* effectus, sed *actus naturæ*, mediante quo *aliqualis* utilitas pro corpore animali intenditur; præprimis cum nulla *distincta physica* ratio & demonstratio occurrat, cur æque molimina illa, ad vomitum cruentum collimantia, ad *illam* ventriculi *regionem* transeant, ubi textura ventriculi *tenerior* est & *perruptio* vasorum paulo *facilius* administrari & impetrari potest.

§. XXI.

Est vero *ventriculus* in illa præcipuè *regione* tenerioris texture, intra quam *splenica vena* propagines disperguntur, sicut illæ *ramificationes* sunt, quæ (ut cum verbis *Illustris D. D. Stablii in Pathologia* exprimamus) ad *anterioriorem partem fundi ventriculi, sub orificio ejus superiore* distribuitur & *vasum brevium* nomine veniunt: addit prælaudatus Vir: *sive etiam profundius aliquando ex illa ramificatione splenicæ venæ, quam proxime contermina, quæ inter pancreas & duodenum distribuitur: absolvitur* vero hic vomitus cruentus *congrua methodo* & convenientibus motuum *directionibus* & applicationibus; ubi minime cum illis consentimus, qui hunc effectum *acrimoniæ* humorum adscribere contendunt, qualis nimis crassa & extreme *concentrata* supponenda esset, si ejusmodi *avrosionis* causa esse deberet: quid quod mirum esset, cur non supposita & famigerata talis acrimonia *alias & teneriores* quidem partes, simili *corrosione* afficeret: unde nimis crassa est illa *Cardani* sententia, qua causam enormis vomitus cruenti exponere fatagit, quando *Libro de causis, signis & morbis no. 60.* dicit: quod enormis sanguinis quantitas evomatur ex *arteria magna*, quæ gulæ incumbit, exesa: id quod etiam ex eodem allegat *Schenckius obs. Med. Lib. III. de vomitu sanguinis obs. 1.* neque etiam ob-

*structionem* pro causa illius eruptionis agnoscimus, quæ ob *mortiferas* consecutiones in corpore vivo neque ita facile obtingit, neque ita præcociter *supponenda* est: quemadmodum illius *proximior* efficacia ad *causandam* actualem talem perruptionem æque *eximiis* difficultatibus exposita est: ante omnia vero eadem cum *periodicis* vomitus cruenti recursibus & *animi pathematum* concursibus haud facile conciliari potest, nisi *turbulenti* denuo & nihil cohærentes respectus causales accuserentur: neque denique nuda sanguinis *pressio* aut *gravitas ponderosa* satisfacit, quo *essentiales* circumstantiæ, ad hanc Hæmorrhagiam spectantes condigne explicentur: qua ipsa brevi declaratione indicamus, quomodo diversæ sententiæ ad præfens negotium non satis quadrent.

§. XXII.

Proximum itaque est, ut commonstremus quibus *positivis*, verioribus, certioribus atque *efficacioribus* mediis hic cruentus vomitus celebretur & absolvatur: primum itaque est, ut perpendamus, quomodo sanguis *intra ventriculum* perrumpat, deinde, quomodo denique *extra ventriculum* protrudatur: administratur vero hæc eructatio sanguinis *intra ventriculum* mediante *motu tonico*, sive *strictorio* & *spasmodico*, qui adeo *exquisite* dirigitur & applicatur, quo sanguis e *textura* ventriculi ad *ostiola* venularum *affluus* hæc non ita *facile* ingrediatur, sed circa illa *restagnet*: hic enim est *proximus* locus circa quem *apertura* & *eruptio* contingit, videlicet *orificia* illa venularum *intimiorum* ventriculi texturam egredientium, & sanguinem *affluentem* recipientium atque successive ad *Vene Portæ* truncum advehentium: quando itaque in *confiniis* harum venularum & quidem circa *capaciorum* earundem propagationem hæc *strictura* & *compressio spasmodica* committitur, tunc motus sanguinis in *liberiori* suo *refluxu* impeditur, continuante interea *sufficienti affluxu*: dum  
ita-

itaque Venæ Portæ propagines, *membranaceis* tunicis comprehensæ, motui *spasmodico* valde subjectæ sunt, ita tanto facilius tam *exactè* ad ejusmodi venularum *ostia* sanguis è ventriculi tunicis *affluens* congeri & restringi potest: imo evenit in illo casu, quando *Hæmorrhoidibus suppressis* hic vomitus cruentus substituitur, ut in illa infertione rami *splenetici* in truncum *Venæ Portæ*, ubi uno velut antro *hæmorrhoidalis interna* venâ eundem truncum ingreditur, aut in illo puncto, ubi in quibusdam subjectis, juxta anatomicorum non infrequentem observationem, *hæmorrhoidalis* talis venâ *immediate* in *splenicum* ramum intrat, ut inquam inducta *spasmodica* strictura, non modo *restagnationem* ad loca *hæmorrhoidalia*, sed & simul ad *splenem* & *ventriculum* causetur, ut ex uno horum locorum, sive in *hæmorrhoidali* parte, sive in *ventriculo* eructatio sanguinis expectanda sit; quemadmodum in tali statu interdum *utriusque affectus* pathemata coincidunt, id quod latius in diversis Dissertationibus negotium *Hæmorrhoidale* explicantibus & commendantibus inculcavit *D. D. Preses*: quando itaque mediante hoc *Tomo* sanguis *propius* ad hæc *orificia* venarum ventriculi *congeritur*, maximè verò in illis ventriculi *regionibus* ubi parietes *tenuioris* compagis sunt, tunc in illo loco *intumescencia* quædam oritur, cui ita *concentrate* oppletioni & *restrictioni* superveniens *torso* & *particularis strictura* ventriculi circa eadem loca ultimam *dilacerationem*, eructationem, eruptionem & *aperturam* intra ventriculi *cavitatem* inducit, ut sanguis à *tergo* adhuc *affluens* per hanc aperturam *successive*, modo *remissius*, modo *citius* & *copiosius* intra ventriculi *cavitatem* effluat; qui denique in *quantitate* aliqua, *inversa* peristaltici per *vomitum* rejicitur.

§. XXIII.

Sicut vero hic totus *ordo* atque *modus* transprimendi sanguinem intra ventriculum *rationabili* quodam *directorio*

rio nititur, licet natura humana in hoc suo negotio *mechanicam* methodum fervet, tamen minime adeo *confuse* hæ rationes mechanicæ a nobis proponuntur, neque propterea penitus excluduntur; sed longe alio ordine explicantur, quo *fundamentale* nostrum assertum eo magis in veritate sua, nihil affectata & contorta, sed simplici, ingenua & demonstrativa, elucescat, videlicet, quod hic vomitus cruentus non *tumultuarius*, perturbatus aut absolute *morbidus*, sed *naturæ* actus sit, qui *genericè* ad salutarem scopum prævisus & destinatus est: ita etiam vicissim paulo modestius de ultima *vomibunda* sanguinis, intra ventriculum coæservati, excretionem judicandum est: etenim vix *gravativa* quædam pressio, sanguini *extravasato* imputata, aut supposita & indemonstrativa *armonia* cum vomitu illo superveniente conciliari potest, sed cum prior *destinatio* totius negotii cum absoluta tali *excretionem* conveniat, nimirum ut sanguis *superfluus* per Menses & Hæmorrhoides non evacuatus, sed moleste retentus *alibi* exoneretur, ita nuda translatio sanguinis *intra cavitatem* ventriculi huic negotio atque scopo non satisfacit, unde *rationali* plane directorio denique sanguis per proximam *anoticam* viam mediante vomitu expellitur, quando, illius *tanta* quantitas collecta est, quæ ad hunc *excretorium* crassum effectum satisfacit, quid quod evenit interdum, ut si *magiori* quantitate vel ob statum valde *plethoricum*, vel ob *capacitatem* perruptionem & aperturam, vel ob *plurimum* ostiolorum venosorum eruptionem, vel ob *graviorem* congestionem sanguis intra ventriculum profluit, non modo ita *affusus* ille sanguis per vomitum, sed & per *catotericam* dejectionem ejiciatur: quippe qui mos *naturæ* humanæ non *inusuatus* est, quando *majori* & *impatientiori* imo *impetuosiori* activitate hoc adversum objectum sursum & deorsum illa prosequitur: id quod etiam contingere potest, si sanguis non *immediatè* intra ventriculum perrumpit, sed si per *alias venulas*, cum Vena Portæ tamen ratione *motus progressivi* san-

fanguinis communicantes, intra *proximiora intestina* eruat, ut partim *inverso* quodam peristaltes gradu aliqua fanguinis effusi quantitas, cum *difficiliore* licet effectu & successu intra *ventriculum* transferatur & ex illo denique projiciatur, partim reliqua quantitas cum subordinata *au-  
diori ordinaria* peristalsi per *alvum* deijciatur: utpote qui modus superfluum atque molestum sanguinem exonerandi, (si singulae circumstantiae bene ponderantur & conciliantur,) minime crassis & *turbulentis* causis adsignari potest, sed assertum nostrum eo magis confirmat, quod hoc negotium *naturae* competat, si *molestum* sanguinem in *commodum* corporis eliminare contendit.

§. XXIV.

Et ita sanguis superfluus atque *molestus* praeter ordinem & *utilitatem* retentus, atque variis *incommodis* causandis, efficax, illud *objectum* constituit, cujus gratia *vomitus* *cruentus* suscipitur & administratur, imo tam *convenienti* motu & methode in tam *selectum* locum transfertur: interim tamen nonnunquam *spissitudo* sanguinis *hypocondriaci*, in Vena portae varia *damna* & *pericula* minantis, *remotio-*  
*riorem* aliquam materialem causam pro hoc vomitu *cruento* constituit, quae impedit, quo minus promptè & *libere* sanguis per *Venae Portae* systema progrediatur; siquidem aliàs motus sanguinis, (licet neque *superflui*, neque *spissi*.) per hanc Venam *progressivus*, variis fonticis *difficultatibus* obnoxius est: sed ne praesente illa spissitudine pericula illa *meruendae staseos* & *putridae corruptionis* in funestum eventum abeant, *salutari* etiam consilio natura exitum quaerit, & quidem per *ventriculum*, quo depleta & *evacuata* aliqua *spissioris* sanguinis quantitate, non modo Vena Portae & *cohaerentes* partes quantisper *ventilentur* & liberentur, sed & eo ipso congruum *spatium* subministratur, in quo reliquus *spissus* sanguis quodatenus *resolvi* atque *at-*  
*tenuari*, subinde vero *se-* & *excretoriae* functiones *levari* & *facilitari* queant, ne tum *spissae* tum *aliae impuritates* remane-

ant,



ant, quæ partim sanguinis *crassitiem* adjuvant & augent, partim aliam *dyscrasiam* massæ sanguineæ inducunt: unde in experientia medica illi casus occurrunt, ut denique sub tali scena afflictionum, cum vomitu cruento colludentium, legitimum *sanguificationis* negotium graviter turbetur: sicut ante exiguas hebdomadas *D. D. Præsidi* obtigit ille casus, ubi in fœmina, animo activiori & sensibiliore ex tacita & pertinaci iracundia, cum terrore conjuncta, Menses substiterunt, quæ post aliquod tempus exquisita molimina ad vomitum cruentum spectantia patiebatur: cui urgente necessitate concessit *D. D. Præsides* Venæ sectionem, sanguis vero, qui effluxit, totus pallidus & vix loturæ carnis similis fuit: sicut alia exempla prostant de pessima crasi sanguinis, præter reliquam spissitudinem, quæ in talibus fœminis obtigit, in quibus vomitus cruenti molimina occurrere, ex quibus illud tantum inferimus, quomodo indicata talis sanguinis crassities & conjuncta aut consequens alia labe causa futuri cruenti vomitus evadat: illud vero hac occasione subinde significandum est, quod *plenitudo* sanguinis, ex *retentis* Mensibus & Hæmorrhoidibus collecta, quæ perinde *liberum* motum progressivum per *Venam portæ* impedit, paulo *frequentior* vomitus cruenti causa existat, quam nuda *spissitudo*, quæ citra illarum Hæmorrhagarum suppressionem acquisita fuit: denique etiam sciendum quod vomitus cruentus, præsentis sanguine *spissiori* paulo *difficilius* succedat, quia necessariæ *congestionis* & *concentratæ* sanguinis restrictiones non ita *accurate* administrari possunt.

§. XXV.

Sed si jam paulo curatius & pressius perquirere volumus, per quas *vias* aut circa quas *venulas* sanguis eructet, ut in *ventriculi* cavitatem pertingat, tunc *Galenus Lib. V. c. s. de locis affectis* Hepar & Lienem acusat, unde sanguis intra ventriculum transferri debeat: sed cum de *hepate* paulo obscurior sit assertio, siquidem è ventriculo

lo peculiaris vasa venosa sanguifera vix immediate in hepar abeant, nisi rarissime quædam observationes anatomice obtare possint: unde rectius ad *Lienem* respicimus; quoniam vero ex hoc viscere sanguis non ad *ventriculum* profluit, ita potius via illæ notandæ sunt, quæ sanguinem e *ventriculi* textura ad *lienis* confinia revehant: quo ordine sese ante omnia vasa brevissima commendant, quippe quæ subinde illam regionem ventriculi egrediuntur, ubi textura est tenerior, unde per hanc demonstrationem anatomicam concludimus, quod circa hæc vasa commodius sanguis intra ventriculum eructare queat: & cum hæc vasa in sinistro hypochondrio situm atque cursum suum habeant, ita molissima ad cruentum vomitum tendentia sensibilibus sese in eodem loco produunt: & hujus nostri asserti varia testimonia producere possumus, siquidem præter eximium testimonium *Exc. D. D. Stahlii*, quod passim partim in *Pathologia sua*, partim in *Dissertationibus de Vena Portæ, porta malorum, de Malo Hypochondriaco - Hysterico, de Motu Tonico vitali, de Hamorrhoidibus &c.* adhuc multiplicia alia occurrunt, & merentur hoc loco commendari observationes in *A. N. C.* ubi Scholiastes observationis 350. *Dec. I. An. 3.* dicit: *sanguinem e Vena Portæ per Lienem & vas breve in ventriculum regurgitasse puto: confirmat id avroptia, Thonerus enim profert Historiam ex Valverda desumptam Lib. II. p. 140. de cardinale Cibone, qui hoc malo extinctus: aperto cadavere, ventriculo compresso, Lien turgescerebat; è contrario Liene compresso, copiosus sanguis ad ventriculum regurgitabat. conf. Scholion. observationis 314. ubi hæc extant verba: puto itaque Lienem è vena portæ per vas breve hancce sanguinis copiam in ventriculum detrusisse conf. An. 6. & 7. obs. 48. in Scholio, Dec. III. An. V. & VI. obs. 257. missis pluribus testimoniis, qualia passim in Boneto, Hæffero, Valverda, Thonero, Bartholino, Michaële, Wedelio (ut Löwius indicavit) occurrunt: & si per hæc brevissima vasa non perumpit sanguis, fieri tamen potest, ut per alios ramulos venosos e ventriculo in venam splenicam transeuntes sanguis perumpat: ut non æque necesse sit ad arteriarum aperturam confugere: illud vero exinde inferimus, quod cum spasmodicæ commotiones*

nes in hæc loca maxime transeunt, ita etiam in hisce regionibus sensibiles illæ angustationes & oppressiones cardialgicæ contingant.

§. XXVI. Quemadmodum vero *vie* & exitus naturæ variis modis atque occasionibus *discrepant*, ita solertes observatores annotarunt, quomodo sanguis, qui denique per cruentum vomitum eliminatus est, in *alium* locum, quam in ventriculum, eructaverit, è quo denique intra illum transmissus ultimam evomitionem expectavit atque subiit: unde observationes quædam occurrunt, quæ testantur, quomodo ad *gastrica vasa* juxta *Blancardum* & *Theodorum Craanen* intra ventriculum eruperit, aut quomodo juxta *Franciscum Sylvium* & *Ettmüllerum* ex vitio *pancreatis* sanguis intra *duodenum* intestinum erumpat, ut propterea *Sylvius Lib. I. cap. 15.* asserat, quod *sanguinis vomitus non à Liene, non ab Hepate, non à Mesenterio, sed à solo Pancreate deducendus* (quippe quæ sententia opinioni *Sylvianæ* magis quadrat, & ab *Ettmullero* in *favorem* *Sylvianæ* opinionis propagata est) interim *B. Ettmullerus* illo loco ubi de vomitu cruento agit, asserit quod ex apertura *vasorum brevium* intra ventriculum sanguis transmittatur: addit vero quod *una alterave vena à lymphâ pancreatis p. n. acidiori exesa aut aperta, sanguis in duodenum refundatur, qui in stomachum regurgitare debet*; sed cum *vie* illæ adhuc *obscuræ* sint, per quas *pancreas* cum *ventriculo* aut *intestino duodeno* per motum sanguinis *progressivum* communicare debet aut potest, (ni *rarissimas* observationes quisquam producere & allegare vellet) ita ad minimum hoc assertum in *dubio* relinquimus: proinde vero alia testimonia inter medicos occurrant, quæ asserunt, quomodo sanguis per *vasa meseraica* intra intestina erumpat, uti juxta *Horstium*, *Blancardum*, *Stalpart van der Wiet* *Lôvius* in *A. N. C. Dec. II. An. VIII. obs. 125.* documentum producit: interim hujus contrariam sententiam non amplectimur, qua *dubiam* reddere conatur illam viam, ubi circa *brevia vasa* sanguis intra ventriculum perrumpit, licet *Diemerbræckius*, *Bohnius*, *Bartholinus*, *Lowerus* & *Blancardus* nobis assentientibus, asserant, quod *superfluus* sanguis per *vasa brevìa* à ventriculo re-

vehatur, neque ex hifce retrogrado fluxu ordinariè ad ventricul-  
 um feratur: cui dubio superiores noſtræ demonſtrationes a-  
 bunde ſatisfaciunt. Illud vero hoc loco, ubi in *anatomicas* ani-  
 madverſiones animum noſtrum dimiſimus, notare lubet, quo-  
 modo accuratiores viri in ſubjectis, vomitus cruenti fluxibus,  
 motibus & apparatibus obnoxiis, *vaſa brevia* eximie *turgida* &  
*inflata* deprehenderint; ex quibus obſervationibus confirma-  
 mus ſuperius allegatam viam ſanguinis per hæc *brevia vaſa* intra  
 ventriculum eructantis; quales obſervationes proferunt *Strab-  
 lius* in *Diſput. de Vena Portæ Porta maiorum* p. 28. 29. *Wedelius* in  
*Phyſiologia reformata A. N. C. Dec. I. An. IX. & X. obſ. 20.* quo ſpe-  
 ciat modo citata obſervatio 257. *dec. III. An. 5. & 6.*

§. XXVII. Et dum ſanguis mediante hoc *toni* augmento ver-  
 ſus ventriculum *congeritur* & reſtringitur, communiter *inferio-  
 res* abdominis regiones unà *conſtringuntur*, quo minus ſanguis  
*diſpergatur*, ſed eò *proximius* ad ventriculum transferatur;  
 unde *abus* occluditur & ſtrictoriæ atque *angultoriæ* commo-  
 tiones *hypochondriorum* regionem occupant: hinc illæ inquie-  
 tudines *angultoriæ*, *cardiaticæ*, imo concurrentes *inflationes*  
 & *indurationes* ut & ſenſibiles dolores *tenſorii*, *diſtenſorii* & *ar-  
 dentes*: & cum pro efficaciore *interna* ſanguinis perruptione ab  
*externa* & *extrema* corporis periphæria reſtrictio *tonica* ſangui-  
 nis *ad interiora* adminiſtretur, hinc illa *ſuperficialis* obrigeſcentia,  
 impalleſcentia, refrigeratio aut tepor: imo cum ad *extra-  
 ordinarium* & inſolitum hunc actum *vires* applicentur, hinc il-  
 le virium in *voluntariis* motibus applicandarum *langvor*: quid-  
 quod evenit, ut ſub vehementiori & *impetuoſiori* ſanguinis re-  
 ſtrictione ab *inferioribus* regionibus in *ſuperiores* ſuccedente,  
 unà *caput* occupetur, & *copioſiori* ſanguinis quantitate *opplea-  
 tur*, unde *vertiginofe* & *oppletoriæ* illæ perturbationes: pro-  
 inde particulares illæ ventriculi *torſiones* venarum *diſtenſiones*  
 lienis *intumeſcentiæ*, plexus membranacei *meſenterici* ſpſmoticæ  
*conſtrictiones*, variis dolorificis ſenſationibus, anſam præ-  
 bent: & dum tam in *confiniis* ventriculi, quam in *ipſo* ventriculo  
 ejusmodi *tonicæ* ſtricturæ ſuccedunt, ita non modo *reſpiratio*

difficilis est, sed post qualemunque *cibi* ingestionem *angustia* augmentur: præterea cum natura intentio est è *ventriculo* extraordinario quodam actu aliquid *molestum* egerere, ita *appetitus* rationabili consilio *dejectus* est; id quod firmum testimonium existit, quod *hac tempore* ventriculus ad *aliud negotium* applicari debeat: quod si etiam contigerit, ut *diuturnus* infarctus lienem detineat, tunc quidem ex quacumque *impulsione* inducta denique sanguis intra ventriculum erumpit, ut superveniente reliqua sinistri hypochondrii *strictura*, oppletio illa è *Liene* transferatur, & ita infarctus ille *referetur*, aut præter naturali *retrogrado* motu per vasa brevia, *valvulis* destituta, in quibusdam subiectis *immediate* intra Lienem inserta, è Liene intra ventriculum *inverso* ordine hæcenus contentus sanguis adversæ cræseos & consistentiæ dimittatur; haud vero *Bartholini* sententiæ assentimus, quando *Hist. Anat. Cent. 3. hist. 36.* asserit: quod Hepar per porum choledochum & sanguinem & bilem mittat: quod assertum non nisi *possibilitas* tueri videtur, dum loco bilis per ductum *hepaticum* sanguis affluere & per *choledochum* ductum denique intra intestinum *duodenum* penetrare, & tunc demum in ventriculum transferri possit: qui modus nimis *diffusus* est, adeoque magis in *speculatione* & *possibilitate* quam in *observatione* & *usu* consistit. Quo vero denique natura humana cum sanguine *superfluo* exitum per *ventriculum* quærat, concurrunt interdum causæ quæ *astuxum* sanguinis *ad ventriculum* provocant; quo præcipuè *aeria stomachica* & *emetica* remedia referre merentur.

§. XXVIII. Præter opinionem præsens nostra tractatio exerevit! & licet adhuc variæ utiles animadversiones restent, quæ hæcenus prolatis & commendatis nostris historicis & pathologicis vomitus cruenti explicationibus adjungi possent, tamen tempus & dissertationis ambitus requirit, quo abrumparamus, siquidem in hac deductione ut plurimum circa *palmariam* vomitus cruenti speciem occupati fuimus, licet reliquas *comexas* observationes non penitus sicco pede pertransiverimus: interea ulteriorem & specialiore præsentis nostræ tractatio-

stationis illustrationem æquo & benevolo Lectori relinquimus: ultimum superest quo ad *Practicam* vomitus cruenti commendationem descendamus, quam iterum haud ad *generalem* respectum applicamus, sed ad hanc præsentis Hæmorrhagiæ *speciem* dirigimus, prout *præmissis* nostris tractationibus respondet; videlicet indicabimus quomodo ille vomitus cruentus *medico-practica* methodo tractandus sit, qui ex *Mensium & Hæmorrhoidum* turbis originem suam trahit: quo vero meliori ordine hæc tractatio & consideratio proponatur, primo loco significabimus principaliores *cautelæ practicas*, in hoc affectu observandas. Cavendum propterea est ne *incongrue* sanguinis missiones *artificiales* ordinentur; imprimis ne nimis fugitivè *curatorie* VSnes commendentur, imprimis quando *nulla necessitas* urget: inde enim *molimina* ad vomitum cruentum tendentia, ita disponuntur, quo *facilius* atque citius *recurrant*: tanto minus vero consultum est ejusmodi VSnem in *superioribus* regionibus corporis injungere aut admittere, siquidem cum illa non modo *Mensium & Hæmorrhoidum* *suppressiones* confirmantur, sed & *hypochondriorum & pectoris* oppresiones acerbiores invitantur: deinde abstinendum est à qualibet alia *fortiori*, copiosiori & impetuosiori *evacuatione*, tum *anoterica*, tam *caoterica*, hinc *vomitoria* cane pejus & angue fugienda sunt tam pro *curatorio*, quam pro *præservatorio* scopo: quemadmodum etiam positiva *purgantia* evitanda sunt: nocent vero etiam vel negligentiores *ordinariarum* evacuationum promotiones, vel actuales *suppressiones & perturbationes*: porro abstinendum est à *præmature* usu *adstringentium*, tanto magis *potentium & famosorum*: non minus etiam *frequens & liberalis* illorum usus evitandus est: omittantur remedia *acria* vias & humores valde *commoventia* & sic dicta *calefacientia*: seponatur *præmaturus* usus *stomachicorum*, calefaciente sua qualitate *affluxum* sanguinis *ad ventriculum* immoderatus provocantium: nocent *vulgaria opiata* & suspecta alia *narcotica*, quæ indolem Hæmorrhagarum magis *turbant* & pervertunt: seponatur *præmaturus* volatilius usus, quæ motus magis *augent*, quando jam gravius *exacerbati* sunt: absint *refrigerantia*, suspecta *incrassantia* & qualiter

litercunque ventriculum ægre afficientia nocent *copiose* medicamentorum ingestiones; quæ semel *commotum* ventriculum magis offendunt, obfunt *promiscuæ specificorum* oblationes, nec non majores Mensium & Hæmorrhoidum *perturbationes*, aut negligentes horum fluxuum *promotiones*, ut & roborantium nimis *concentratorum* & acrium ingestiones; nocent *prematuæ* vomitus suppressiones quando adhuc multa sanguinis quantitas *in ventriculo* laet. Denique obstat incommodum *regimen* quoad animum & reliquū vitæ genus: utpote quæ potiores cautelæ practicæ sunt, quæ ad præsentem affectū referri merentur.

§. XXIX. Proximum nunc est, quo *positivam* vomitus cruenti curam indicemus: ubi mox illam practicam quæstionem movemus, an ita *absolute* necessarium atque utile sit, quo in hoc affectu *VSio* administretur? etenim hæc *artificialis* sanguinis subtractio *commune* illud refugium est, quo in *nimis* Hæmorrhagiis, tanquam ad sacram anchoram prædici properant: nos quidem ex suffragio *experientiæ* asserimus, quod ejusmodi *VSio* minime ita *indiscretem* necessaria atque utilis existat; siquidem vel *remissior* affectus status eandem non urget, vel *aliis methodis* interdum natura obtemperat; quodsi vero *prima* hujus vomitus crustatio valde *enormis* & ulterior illius continuatio admodum *immoderata* comparuerit, tunc pro *impetu* hoc mature *coercendo* *VSnem* minime disuademus, etiamsi *curatorie* insituitur: præstat vero *in pede* venam aperire & moderatam sanguinis quantitatem educere: quando vicissim *in brachio* sanguis subtrahitur, tunc vel *VSio* plane *nihil* levaminis affert, vel *majorem* hypochondriorum & pectoris *oppressionem* præsentaneam inducit, vel Mensium & Hæmorrhoidum *obstructionem* confirmat, vel frequentiore hujus vomitus *recursum* invitat, vel plane alium *corruptum* morbum post se trahit: Quodsi itaque *urgente* necessitate *curatoria* talis *VSio* administrata fuerit, tunc invigilandum est, quo post aliquam moram *preservatoria* artificialis sanguinis ventilatio substituitur, ne *brevi post* suspectus cruentus vomitus *recurrat*; siquidem *accelerata* talem repetitionem spontaneæ Hæmorrhagiæ *curatoria* *VSio* inducere solet. Deinde in primis vomitus cruenti limitibus & Therapiæ initiis providendum est, quo excretio *alvina* libera sit atque facilis: tanto magis vero convenit alvum oclusam atque strictam *reserare* & *lenire*: sed dum præsentem vomitū cruento remedia *alvum* *aperientia* minime *oretenus* exhibenda sint, nedum quidem exhibita proficiant, ita potius *clysterum* usum commendamus, quales in hoc statu *lenientes*, *oleosi* & *remissius* stimulantur esse possunt, quibus mediantibus *diversis* quædam ex *hypochondriorum* regione inducitur: abstinentium vero est, ne *clysmatibus* *acriores* species commisceantur, licet *temperatissima* roborantia subjecta combinari queant.

§. XXX.

§. XXX. Quando hisce obstaculis medela aliqua oblata fuit, tunc ad ipsum affectum propius accedendum est, quare prima intentione motus illi *congestivii spasmodici* excretorii *temperandi* sunt, hinc pulvilli teneriores & quantitate exigui *Nitrati absorbentes cinnabari*, ita dicti *antispaasmodici* aliquoies per diem exhibendi conveniunt, quemadmodum mixturæ ex aquis Plantaginis, urticae minoris, Portulacæ, Scordii, C.B. Ceraf. nigrorum, Oculis cancrorum, Corallii rubr. præp. & Nitro tabulato paratæ, eandem utilitatem promittunt: *proinde leniente & simul temperante* efficacia sese comprobant decocta ex rad. Cichor Scorzon. apii. hordeo excorticato, fl. chamomillæ passulis majoribus & nichor: quippe quæ auxilia leniori & mitiori methodo *immoderatas* illas spasmodicas commotiones mitigant, ut non æque ad *positiva* adstringentia aut *sedativa* remedia confestim confugiendum sit: quando vero hæc sanguinis excretio *immoderatus* insistere videtur, tunc accessus instituendus ad *cohibentia* & *sedantia* remedia, quæ tamen ita *selecta* esse debent, ne *suspecto simultaneo* effectu hunc vomitum obruant & opprimant: & horum auxiliorum dantur *duo genera*; quædam, quæ *specialiori* efficacia motus *immodicos spasmodicos* circa *Venam portæ* favientes, compescunt atque retinent, quo nomine *Millefolii* herba ab *Illustri D. D. Stablio* ex sufficienti experientia laudatur, quæ vel in *Decocto*, vel in *Essentia* usurpata immoderatum talem vomitum refrænât; siquidem cum *Essentia* Millefolii alia *Essentia discutiens, resolvens* & modestius *roborans* combinari potest; quo nomine commendamus *Essentiam Pimpinellæ* albæ, aut *Helenii Caryophyllatæ*, *Cort. aurantiorum* &c. qualis *Essentiarum Miscela* bis vel ter per diem ad 30 vel 40 gr. assumi potest: ad *vulgaria* vero *tonica* referimus *Crocum martis* antimoniatum *Stahlii*, *antimon. diaphoreticum martiale Ludovici*, *Tincturam vitrioli martis Tartarifatam Ludovici*, *Tincturam Martis Tartarifatam*, *Tartarum vitriolatum martialem*, *Liquorem mineræ martis Hasiacæ*, *Tincturam stypticam ex vitriolo martis cum Spiritu vini paratam*: quo in casu necessitatis *Tinctura Corallorum* & de *Catechu* referri potest: cavendum vero est ne talia deobstruentia statim sub *primo* hujus vomitus *initio* ingerantur, neve *largis* aut *frequentibus* dosibus ordinentur; aliàs sanguis effusus intra *ventriculum* occluditur & majori quantitate retinetur, qui illic putrescere inchoat: præstant *ante* horum oblationem remedia *temperantia* præmitenda, & sub illorum usu atque *post* illum *continuanda*; ita eo magis suspectæ internæ stricturæ præoccupantur.

§. XXXI. Et quo certius atque efficacius ejusmodi *impetuosus* vomitus cruentus mitigetur, præstat interdum *selectum* quoddam *sedativum* remedium offerre aut reliquis conjungere: haud vero famosa & communia opiatæ remedia intelligimus: præferimus prælaudatam *cinnabarina*, nec non *Corticem chaccarilla*, quem in pulvere cum absorbente medicamento, aut corallii rubris præparatis aut C. C. uso commendamus; non minus *Tinctura Chaccarillæ* cum *Essentia Millefolii* mixta confert: quibus hic cortex deficit, illi *Massam Pill. de Cynoglossa* in usum trahere possunt: *Castoreum* pro *interno* usu non utile deprehendimus, quod vero magis ad *externos* usus reservamus: in *mitiori* vomitu cruento *species de Hyacintho* cum corall. rubr. præp. & cort. chaccarill. *tonico sedativo* effectu præditum remedium constituunt: ita *speciali* strictorio effectu in hoc affectu pollent *succi* ex *millefolio*, *urtica*, *Polygono*, *Equisetio*,  
Pim.



Pimpin. sanguisorb. parati conjuncti cum extracto chaccarilla: præterea ad diversionem instituentiam conducunt *pediluvia* & *frictiones* pedum: *Forestus lib. 16. obs. 24.* recenset quod cum solo *Chysere* hunc affectum in foemina curaverit: Et quanquam a Practicis *externa* auxilia, quæ communiter de *adstringentium* profapia sunt, commendentur, tamen illis haud indigemus, quando præmissa remedia dextrè usurpamus: interim in *sensibilibioribus* subjectis vix penitus *topicis* talibus remediis efficaciam denegamus: sicuti præter talia adstringentia etiam moderata *roborantia* cum *castoreo* remixta admittimus: quando vero hic vomitus quantisper *remittere* videtur, tunc subjungenda est illa Mixtura *roborans* ex spiritu C. C. & Tinct. antimon. Tartarifata composita: quemadmodum circa *finem* cura eo respiciendum & allaborandum est, quo sanguis, qualiscunque adhuc vel in *ventriculo* vel in *intestinis* hæret, tempestivè per moderatam *laxationem* evacuetur, quo commendamus usum Rhabbarbari, extracti panchymag. Crollii, aut pillularum remisius aloëticarum: proinde etiam hoc tempore usum temporariorum stomachicorum remedium admittimus: eximia utilitatis & dignitatis in hoc affectu sunt *Pillule balsamicæ Strabiane*.

§. XXXII. Quando vero vomitus *præservari* debet, tunc ante omnia prudens & securum auxilium adhibendum est, quo *Menses* vel *Hæmorrhoides* revocentur: haud vero convenit hunc respectum *impetuosè* & *importunè* prosequi, quin potius quælibet *moderata* methodus injungenda erit: ob id *præservatoria VSnes in pede, pediluvia, frictiones, infusos, hirudinum* applicationes ad loca hæmorrhoidalialia admodum conferunt, *alvus* conservanda est in *justa apertura*, quid quod interdum admonenda & *provocanda*: ante omnia etiam bona *animi continentia* atque temperies commendanda erit, siquidem hic affectus & citius & facilius per *animi pathemata* excitatur: *Diaeta* sit *mollis, tenuis, eupepta*; potus adhibeatur *sufficiens* atque *tenuis*, minimè vero spirituosus & concentratus: subinde conferendum *mobile vitæ* genus; cum vicissim nimia desidia hunc affectum exacerbet, aut confirmet: *acidularum* usus hunc *directè* non quadrat, nisi *spissitudinem* sanguinis quantisper emendare possit: maximum commodum est quo *Menses* aut *Hæmorrhoides* restituantur. Et si hætenus laudata auxilia in usum congruum trahuntur, non opus est aliis *specificis* remediis sanguineis fluxibus opponi solitis, ut sunt dens Hippopotami, Lapis Manati, Priapus Ceti: de reliquo à singulis illis occasionebus sedulo abstinentium est, quæ ad *immodicas* sanguinis *commotiones* concitandas faciunt: minimè vero consultum est *adstringentia* remedia ad  *futuros* usus reservare neque martiales famosas Tincturas juxta consuetum morem continuare, sed sedulo prospicere, quo *ordinaria* excretionis justo & libero *successu* gaudeant: quodsi vero incommoda quedam sanguinis *spissitudo* in individuis occurrat, tunc præter præservatoriam *Vene Sectionem* & usum sufficientem *potus atque motus*, amaras, & ita dictas *anticorbuticas* species, ordinamus: & licet in hac practica vomitus cruenti explicatione adhuc una & altera *specialior* circumstantia notari poterit, tamen in hac *fundamentali* commendatione acquiescere placet, hinc vels nostra contrahimus: Deo vero benignissimo, satori & authori veritatis, devotissimas grates tribuimus, quod ad præsentem tractationem vires & intellectum concesserit; cui etiam hanc nostram opellam humillime consecramus, insuperque rogamus, quo eandem gratia sua ita prosequatur, ut ad vota nostra gloriam divinam augeat & proximi commodum promoveat.


ULB Halle 3  
002 186 993



56

1078







1718 57

URALIS MEDICA,

CRU.

O,

PITIO

MEDICÆ CONSENSU,  
DE,

LE ALBERTI,

ONSILIARIO AULICO, MEDI-  
IO, PHILOS. NATUR. EXTRAORD.  
N. ACADEM. NAT. CURIOS.

A,  
ECANO SPECTATISSIMO,  
E PROMOTORE SUO CUM  
OSEQUENDO,

DOCTORIS

ibus, Insignibus, ac Privilegiis  
ni obtinendis,

August. M DCC XVIII.

ni submittet

KUPITZ,  
USAT.

BURGICÆ,  
CKELII, Acad. Typ.

3

3